



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Turriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.  
Scripturae. De Ecclesia Catholica, Et Eius Pastore  
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum  
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae Agrippinae, 1580**

**VD16 ZV 18729**

Locus Nonus Esaiae 59. Sophisma Turriani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33634**

non obseruaueram. Ipsum uerbum  $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ , quod hic ad monarchiam retu-  
lit apostolica doctrina, satis declarat unum monarcham electum fuisse in hac  
monarchia.  $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$  enim in personam propriam cadit. Adiuxi postea illic, quod  
ad respondendum tibi Antoni pertinet. Hinc quoque B. Ambrosius libro 2. de vo-  
catione gentium cap. 6. sic ait de hac monarchia Ecclesia Catholica Romana  
comparans eam cum monarchia illa terrena, & ethnica Romanorum, quam  
Deus non elegit. Quamuis, inquit, gratia Christiana non contenta sit eosdem  
limites habere, quos Roma, multosque iam populorum scepro crucis Christi il-  
la subdidit, quos armis suis ista non domuit. Deinde subiungit, quae tamen, sci-  
licet Roma, Apostolici sacerdotij principatu amplior facta est arce religionis,  
quam solio potestatis. En Antoni, quam Apostolica doctrina monarchiam Roma-  
norum vocat, & à Christo electam dicit, B. Ambr. vocat principatum Apostolici  
sacerdotij, quo Romam dicit magis amplificatam secundum religionem, quam  
secundum potentiam saeculi. Tertullianus quoque, in libro ad Scapulam imperium  
Christianorum, id est, monarchiam Ecclesiae Catholicae Romanae, vocat impe-  
rium Romanum, quod tandiu, inquit, stabit, quoadiu saeculum stabit. Desine igitur  
Antoni dicere, A deo, ut Turrianus non dubitauerit Pontificum  
primatum regnum Romanorum appellare. Quinimmo quia Turria-  
nus auctor ignotus & obscurus est, & quia resueta nullius existimationis, scri-  
bere potius, a deo, ut Ambrosius monarchiam Romanorum non dubitauerit prin-  
cipatum Apostolici sacerdotij appellare. (Primatū enim Romani Pontificis in-  
tellexit) & Tertull. monarchiam Ecclesiae Catholicae imperium Romanorum,  
quod stabit, inquit, quandiu saeculum stabit; monarchiam enim Ecclesiae adifi-  
cauit Christus super Petrum, & aduersus monarchiam Ecclesiae promisit non  
praeualituras portas inferi, non autem aduersus imperium saeculare Romano-  
rum, sicut hactenus non praeualuerunt. Hactenus in caput octauum. Sequitur,  
ut caput 9. aggrediamur.

## Locus Nonus Esaiæ 59.

Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, & ver-  
ba mea. quae posui in ore tuo, non discedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, &  
ab ore seminis seminis tui, dicit Dominus ex nunc, & in saeculum.

## Sophisma Turriani.

De Christo & Apostolis eius propheta, semen enim Christi vocat Apосто-  
los, semen autem seminis vocat Apostolorum successores; ergo ad tradendam,  
& conseruandam Christi doctrinam, & sermones eius, necessaria est secundum  
euangelium ordinaria successio Apostolorum. Non autem alligamus Ecclesiam  
ad certas personas in ordinaria successione constitutas, sed potius Christus Ec-  
clesiam sponsam suam huiusmodi successione Episcoporum usque ad finem sae-  
culi

Quo uerba  
 $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$   
quod uerba est  
apostolica  
constitutio  
satis decia-  
rat electum  
esse à Chri-  
sto monar-  
cham in ec-  
clesia, quia  
 $\chi\epsilon\pi\omicron\tau\omicron\upsilon\epsilon\upsilon$ ,  
id est, ordi-  
natio in per-  
sonam cadit.  
Quomodo  
imperium  
spirituale  
Christianorū  
Ambrosi-  
us princi-  
patū aposto-  
lici sacerdo-  
tij vocat,  
Tertul. im-  
perium Ro-  
manū, con-  
stitutio A-  
postol. monar-  
chiam Ro-  
manorum  
à Christo  
electam.



culi secum alligauit. Quare qui huiusmodi alligationem ordinariæ successionis à Christo institutam, & ad oblationem, & custodiam integra fidei, & doctrina necessariam accusat, Christum accusat.

## CAPVT I.



Agrediamur ad defensionem loci *1<sup>ie</sup>*, quem tu more tuo cauillando, tergiuersando, & fingendo conaris eludere. Ac primum antequam ad disputationem agrediaris, quia nisi mendacijs instructus, & suffarcinatus, tua peruersa dogmata defendere non potes, inter ea, quæ dicis nobis controuersa esse, & de quibus dissentimus, Turrianus, inquit, vnum tantum successionis genus agnoscit, nempe successionem ordinariam episcoporum, nos autem duplicem successionem consideramus, quarum vna, eaque præcipua est successio doctrinæ, &c. Vbi ego vnum genus tantum successionis, nempe successionem ordinariam episcoporum, sine successione doctrinæ posui, indicia locum tui, vt si non indicaueris, sciant te à mendacio principium disputationis tua cepisse. Ego non separavi, neq; separari posse successionem doctrinæ à legitima, & ordinaria Episcoporum successione auctoritate Apostolica doctrina probavi libro 7.

Quomodo  
Antonius  
à mendacio  
cepit prin-  
cipium dis-  
putationis  
contra locū  
Elaia à me  
tractatum.

Clementis Rom. de constitutionibus Apostolicis c. vltimo. Postquam enim enumerauit Clemens in persona Apostolorum Episcopos, quos sancti Apostoli dum viuerent, ordinarunt, & Ecclesijs præfecerunt, subiungit in persona eorundem; Hi sunt, quos paræcis in domino præfecimus; quorum doctrina semper memores, seruate sermones nostros, & sit Dominus vobiscum nunc, & in infinita secula, vt ipse nobis dixit, cum esset ad Deum suū eundemq; patrem ascensus, ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Amen. Hic ego in libro Clementis Rom. de constitut. Apost. quos nuper edidi, scholium apposui his verbis, En Apostolica doctrina, qua testimonium tribuit traditioni doctrinæ Catholice, per successionem episcoporum in Ecclesia Dei relicta, hoc enim Apostolica doctrina præcipit memores esse doctrinæ illorum, quos ipsi Apostoli ordinarunt, dum viuerent, sic enim fieri, vt doctrina ipsorum Apostolorum seruetur, cum nobis etiam, qui nunc viuimus, præcipiat, consequens necessario est, vt per successionem Episcoporum, illa ipsa doctrina, quam Apostoli illis Episcopis à se ordinatis tradiderunt, ad nos perducta sit; alioqui non hoc ad nos pertineret, quod Apostolica doctrina nunc monet, & iubet, vt memores scilicet doctrinæ illorum, seruemus sermones Apostolorum. Confirmat hoc S. Irenæus lib. 3 c. 3. Sic enim ait, Traditionem itaq; Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire. Et habemus annunciare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesia & successores eorū vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerunt, quale ab istis delina-

Quomodo,  
& vbi ego  
probauerim  
successione  
Apostolica  
doctrinæ nō  
posse à legi-  
tima succes-  
sione Epi-  
scoporum  
separari.



tur. Deinde adiunxi, Protestantes igitur, qui successiones Episcoporum ab ipsis vsq; Apostolis sanctis ordinatorum non habent, non possunt meminisse doctrinam à sanctis Apostolis Ecclesijs Dei per successiones Episcoporum tradita, quia talem doctrinam non habent, ex quo illam, auctore, & duce, ac magistro Martino Luthero monacho apostata, leseruerunt, patres, & maiores suos condemnantes, qui successiones Episcoporum, & doctrinam Apostolicam dogmatum Catholicorum per eos traditam semper tenuerunt, & coluerunt. Hæc ego in eo loco iudicent tui, an sit manifeste deprehensum mendacium tuum. Tibi enim non est permittendum iudicium, qui sicut Paulus de Elyma mago dixit, plenus omni dolo, & fallacia nõ desinis subvertere vias Domini rectas, sicut te Lutherus filius diaboli, inimicus omnis iustitiæ, et veritatis docuit. Illud etiam aduertendum est, quemadmodum interpretatus est hoc loco Clemens in persona Apostolorum, illud, quod Dominus dixit ascensurus in calum sanctis Apostolis, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi, in successione Episcoporum, & in doctrina à sanctis Apostolis ab initio tradita, & vsq; ad consummationem seculi permansura impleri, quæ ad Confessionistas, qui successiones hanc Episcoporum non habent, non pertinet, neque pertinere potest secundum Apostolicam interpretationem verbi Domini. Sublato hoc mendacio, in quo tota tua, Antoni, disputatio de falsa successione doctrinæ tuæ nititur contra successione Apostolicæ doctrinæ per successionem vicariæ ordinationis Episcoporum tradita. Sublato, inquam, hoc mendacio disputationis tuæ fundamento, poteram te dimittere, sed nõ faciam, quin potius, vt hæcenus feci, persequar omnia vestigia tua propter eos, quos decipis.

Deinde non contentus hoc mendacio, quia non satis erat, alterum addidisti ad disputandum de falsa successione tua ministeriali contra successionem legitimam Episcoporum. Definitionem dico veræ, ac legitimæ, vt tu dicis, successio- nis episcoporum, quam ex falsa interpretatione vnius verbi Pauli duxisti, quia enim Paulus ait, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, tu non intelligens quid hic significaret Opus, existimasti ex eo verbo effici, episcopos malos non facientes opus sui muneris, id est, non honorantes, sicut Apostolus ait, ministerium suum operando, non esse Episcopos. Disce igitur primum, quid ἐργον, id est, opus, hoc loco significet; significat enim, vt Isidorus Pelusiota in epistola ad Palladium contra ἀρχοντιώτας notauit, non solum apud Gentiles scriptores, sed in sacris quoque literis τὸ δύσκολον, καὶ δυσκατόρθωτον, id est, rem arduam, & difficilem, vt in Prouerb. capite vigesimo ἀνδρα δεῖ τισὸν, ἐργὸν εὐρεῖν, id est, difficile est inuenire virum fidelem; hanc difficultatem, & raritatem significauit Dominus in Euangelio Luca, cum ait, Quis, putas, fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam

Mendacium Antoni manifestè deprehensum, & conuictum.

Quomodo fundamentum disputationis Antoni de falsa successione doctrinæ suæ contra successione Apostolicæ doctrinæ in solo mendacio nititur.

Quomodo ex falsa interpretatione vnius verbi Pauli duxit errorē Antoni existimandi malos Episcopos nõ esse Episcopos. Locus Pauli qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.



suam? &c. ergo quia difficile est præesse iudicio animarum, quod est Episcopi munus, voluit apostolus τοῦς ἀρχοῦντας, id est, cupidos imperandi, à cupiditate Episcopatus deterrere; & admonere eum, qui episcopatum desiderat, desiderare καλὸν ἔργον, id est, magnum negotium, & rem valde arduam, & laboriosam. sic Ecclesiasticus c. 7. noli, inquit, querere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperè iniquitates; ne forte eximescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. qui verba non intelligis, neq; scrutaris, quomodo ad res verbis subiectas penetrabis? Conuulso igitur fundamento tua definitionis, qua in falsa interpretatione loci Pauli nitebatur, simul conuulsa est tua definitio successionis vera & legitima Episcoporum, quam sumpstisti ad concludendum non esse, nec esse posse in Ecclesia Romana successionem Episcoporum. Quia, inquis, Episcopi Romani, nihil eorū præstant, quæ ad ministerium Episcopatus spectant. Fingamus tam cæco, & corrupto iudicio esse cæteros Confessionistas, quā tu es, quibus persuadeas, omnes episcopos pontificios, ut tu vocas, negligētes esse sui muneris, & nullum esse, qui timeat Deum, sed omnem sanctitatem, & timorem Dei ad vestras synagogas, et earum ministros, & Superintendentes sobrios, castos, & modestos migrasse. cur facis irritum verbum Dei propter nequitiam hominum? Si enim qui semel à Deo consecratus est Episcopus per ministerium ab ipso Deo constitutū, vitio suo postea amittere potest charisma consecrationis, liquet verbum Dei irritum fieri, at quomodo, sicut Apostolus ait, donum, & vocatio Dei sine penitentia erunt, si hoc verum est? nemo enim sibi sumit honorem, inquit Apost. sed qui vocatur à Deo, sicut Aarō, hunc enim Moyses vixit, qui personā Christi gerebat. An neglectio, & ingrata memoria gratiæ tributa, frustratio erit veritatis, & fidelitatis Dei? quid enim, inquit, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorum, fidem Dei euacuabit? absit, est autem Deus verax, omnis autē homo mendax. Si Deus ordinat, & Deus baptizat, homo verò solum ministerium adhibet, & implet, quare magis amitti potest sacerdotium quam baptismus, nisi æquè in utroque irritum fiat verbum Dei? aliud enim est non prodesse factum; aliud desinere esse quod est. Cū Apostolus Timotheum Episcopum hortatur, ut præset, quod tu a nostris Episcopis requiris, ea scilicet, quæ ad ministerium Episcopatus pertinent, noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij; satis apertè significauit posse gratiam illam Episcopatus esse in eo vacuam, & otiosam, quin amitteretur; alioqui non sic diceret, noli negligere gratiam, quæ in te est, sed potius diceret noli amittere. Hortatur igitur, ut præset, quæ sunt officij episcopi, nisi malit habere frustra, quod nihil aliud est, quam negligere quod habet. Vnusquisque, inquit B. Petrus, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes tanquam boni

Quomodo  
Antonius  
facit irritū,  
& vanū ver-  
bum Dei.

Quomodo  
Paulus cum  
dixit, noli  
negligere  
gratiā, quæ  
in te est, quæ  
data est tibi,  
&c. docuit  
clare  
charisma  
ordinatio-  
nis negligi  
posse, sed  
amitti non  
posse, id est,  
non desine-  
re esse Epi-  
scopum, qui  
est malus  
Episcopus,  
ut tradit cō-  
tra scriptu-  
ram Anto-  
niū. Patro-  
nus Prote-  
stantium.



boni dispensatores multiformis gratia Dei. Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus; si quis loquitur, tanquam sermones Dei. Tanquam boni dispensatores, inquit, ut intelligamus, cum quis gratiam, quam accepit siue presbyterij, siue episcopatus, non tanquam à Deo acceptam administrat, sed eam negligit, aut abutitur non ministrando secundum Deum, à quo virtutem, & potestatem accepit, sed secundum voluntatem carnis, malum quidem dispensatorem gratia Dei esse, non tamen gratiam ministerij, in quo positus erat per sacram ordinationem, amittere. Fatemur malum Episcopum indignum esse, & nomine, & sacerdotio, & dignum, ut à ministerio sacerdotij & episcopatus arceatur, sed interim quandiu episcopi ea, quae Ecclesiae tradita sunt, docent, tanquam Apostoli audiatur quia tanquam sermones Dei loquuntur, sicut Dominus de scribis, & Phariseis iubebat, ut quacumque tanquam de cathedra Moysis, super quam sedebant, (sic enim intelligendum est) loquerentur, seruarietur, et fierent. Virum autem Episcopi ecclesiae nostrae tanquam sermones Dei, sicut B. Petrus ait, loquantur, diligenter inquiritur, quia Episcopi sunt prophetae populorum, sicut Apostolica constitutio libro 2. Clementis testatur, immò sic etiam eos vocat Apostolus, & Lucas in Actis, ut alias à me demonstratum est. Immo etsi Episcopus non tanquam sermones Dei loqueretur, sed falsos, non amitteret tamen charisma per prophetiam cum impositione manuum presbyterij semel à Deo datum, essetque falsus propheta propheta tamen, id est, Episcopus, sicut Ananias, & Semeias, in Israel, Sedecias, & Achias siue Achab pseudoprophetae, loquentes non sermones Dei, sed suos, habentes alioqui charisma prophetiae. Vnde post mendacem prophetiam Ananiae, de ipso ait Hieremias cap. 28. & mortuus est Ananias propheta in illo anno, prophetam vocat, quia factus erat à Deo propheta, factus alioqui à se indignus illo nomine, & gratia, falsa pro veris loquens, non à Deo ad id inductus, sed ab hominibus, quibus ad nutum, & voluntatem loquendo placere volebat. Sic etiam Balaam, quamvis mercedem iniquitatis amavit, ut populo Dei malediceret, Prophetam tamen B. Petrus vocat, cum ait, subiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit propheta insipientiam. Et Oseas propheta cap. 4. cum Dominus minaretur ducendum esse populum captivum, & erit, inquit, populus, sicut sacerdos, cui contradicitur, sic enim est apud LXX. sicut enim sacerdos, in quo erat vitium aliquod siue macula ex his, quos lex prohibebat, non poterat sacrificium facere, neque sacerdotio fungi, quaratione quodammodo hac parte efficiebatur tanquam laicus sic laicus cum non poterat offerre per sacerdotem quod in illa captivitate accidit, similis efficiebatur huiusmodi sacerdoti, cui interdictum erat ministerium propter vitium aliquod. Si propter vitium desineret esse sacerdos, tamen si interdictum erat ministerium, non vocaretur à Propheta sacerdos. Scriptura igitur repugnat, quod

Episcopi, quia, quae ecclesiae tradita non sunt docent, pseudoprophetae sunt.

Ananias, Semeias, Sedecias, & Achias pseudoprophetae, loquentes non sermones Dei, sed suos, habentes alioqui charisma prophetiae.

Quomodo scripturis repugnat, qui tradunt Episcopos non praestantes, quae muneris sui sunt non esse in successione episcoporum numerandos.

ait



ais Episcopos, qui non praestant, qua ad ministerium episcopatus pertinent, non esse in successione episcoporum numerandos. Quod tu, quia nullum locum scripturae reperire potuisti, nec unquam poteris, quo dogma tuum hereticum probares, quod Paulus ad Timotheum de laborioso negotio, & opere episcopatus gerendi scripsit, ridicule, & insipienter ad praecleara opera virtutum scilicet, retulisti, quasi in quo illa non sint, nec episcopus sit, quamuis malus. Non disputo tecum, (qui contra sententiam Domini ad tuam perditionem episcopos iudicas) quales sint Episcopi: in oculis enim omnium quamplurimi, ut dignum Deo est, licet neget, & nolis, laudate, & honeste viuunt, & sicut Apostolus ad Tim. scripsit, exemplum sunt fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et nisi inuidiosum esset, dum viuunt, & illis ipsis molestum, & graue, multos tales hic nominare possem, & quidem non longe ab urbe Roma, sed parco: causam dixi, explora tu, & si non ita reperies, arguas me mendacij.

## CAPVT II.

Eniam iam ad locū Esaiæ, et pretermisissis, qua ad argumentationem meam contra te ex loco Esaiæ non pertinent, Primū, inquit, Esaias loquitur de ipsius doctrinae successione, ut expressè dicit, Verba, inquit, mea, &c Deinde, si quis pertinacius contendat, sermonem Esaiæ posse etiam accommodari ad ministerialem successione propter hæc verba, quæ posui in ore tuo, certe effugere non poterit, quin fateatur eiusmodi successione esse verorum ecclesie pastorum successione, quandoquidem nominatim spiritus Dei coniungitur cum ipsius verbo; sic enim Esaias, & spiritus meus, qui super te est, non discedet ab ore tuo, & ab ore seminis tui: quæ vel vna ratio excluderet pontificiam successione, cum ab Episcoporum ecclesie Romanæ successione, & spiritus Dei, & eius verbum iam pridem discesserit. Interrogate Confessionista Antonium patronum cause vestrae, ut intelligatis, vtrum causam vestram prodat, an defendat. Interrogate inquam, quomodo probet, quod iam pridem spiritus Dei, et eius verbum ab ecclesia pontificia discessit? aut si vos non vultis interrogare, ne nihil respondendo erubescat; interrogabo ego: quia ecclesia Catholicorum non communicant cum ecclesia Romana? si enim spiritus Dei, & eius verbum ab ea iam pridem discessit, cum ecclesia catholica per vniuersum mundum diffusa sit secundum promissiones patribus factas, & iam impletas, necesse est, ut ecclesia Romana per cunctas orbis ecclesias iam pridem anathematizetur, & omnes alie ecclesie communionem cum ea non habeant. Quod si hoc demonstrare non potes miser homo, & contra potius Confessionistas Lutheranos omnes ecclesia,



Ecclesia, Græcorū, & Latinorum, & cuiuscunq; lingue Christianæ anathematisant, & eorum communionem vitant, iuxta illud Apostoli sumptum ex propheta Esaiâ 52. & Deut. 13. & 19. auferte malum ex vobis ipsis; & cum aliter corrigere non possunt, ignes & gladios magistratus seculares expediunt, quomodo aude dicere, iam pridem spiritum Dei, & verbum eius, id est, fidem ab Ecclesia Romana discesisse? paulò antè dixisti, nò tantum argumentis, sed ipso sensu hoc deprehendi. Amabo, quo sensu? auditus, an oculorum? an viroq;? quos testes habes, qui audierūt? aut viderunt? produc eos, modo ne de domo tua producas, quia vetat Paulus iuricons. testes, inquit, eos, quos accusator de domo sua produxit, interrogari non placuit. Contra verò, vos à fide defecisse, ex quo pollutio Lutheri non super vniuersam terram, sicut ait Propheta Hierem. de alijs similibus, sed in vniuersam prope Germaniam egressa est, vos omnes testes esse potestis, cum quibus nullæ ecclesiæ extra Germaniam communionem habent, & qui nusquam extra eam tui estis, nisi in speluncis, & in eis raro, & paulisper, dum quis olfaciat, & detegat. Rursus interrogabo te, cum in euangelio Luca legis dictum Apostolis, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, (tentauit enim Satanas sanctos Apostolos, vt efflueret spiritus Dei, & verbum eius ex corde eorum instar tritici per cribrum perforatum effluentis, à quo dehortatur Apostolus, cum ait in epist. ad Heb. propterea abundantius oportet nos obseruare ea, quæ audiimus, ne quædo persuasus) sed ego inquit, rogavi pro te, ne deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, putas ne exauditum esse Dominum, cum hoc rogavi patrem, an non? credo, exauditum fuisse respondebis, ne blasphemus in vnum spiritum patris & filij videaris. Deinde, si te rursus interrogem, an pro Petro tantum rogasse putes, ne fides eius deficeret, an etiam pro ecclesia? & hoc etiam dabis, quātum suspicor, ne videaris dubitare, vtrum fides Ecclesiæ possit deficere, cum Dominus in hac Esaiâ propheta, de qua disputamus, planè promittat, nunquā in ecclesia cessaturā esse confessionem fidei: sic enim ait, ne sine auctore loquar, B. Cyrillus in commentarijs huius propheta. Præterea si queram à te, cum hic dixit Dominus, & tu aliquando conuersus suppeto, id est, firma fratres tuos, putas nomine fratrum ecclesiam significasse? nec hoc negabis, ne tam imperitus esse videaris, vt ignores, sic scripturam, & sanctos appellare solere, & apud Cyprianum, quem tu legis, frequens esse nomen fraternitatis pro ecclesia, & totam fraternitatem pro tota ecclesia crebrò dicere consueuisse. Igitur rogavi pro Petro ne deficeret fides eius, & simul pro fraternitate, id est, ecclesia, quam firmare scilicet in fide iussit Petro tāquam petra super quam voluit Christus Ecclesiam edificare. Cum enim dicit Dominus rogasse pro Petro, ne deficiat fides eius, & continud iubet ei firmare fratres suos, an non satis declarat, idcirco rogasse

Quomodo ipsi Protestantes testes esse possunt nullas Ecclesias per cūctum orbem cum eis commanicare, ex quo efficitur ipsos à fide defecisse; aut defecisse fidem Ecclesiæ Catholicæ contra scripturam, & Dei veritatem. Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, &c. Cum Dominus pro Petro rogauit, ne fides eius deficeret, etiam pro Ecclesia rogasse. Cum Dominus dixit Petro, & tu aliquando conuersus firma fratres tuos, totā Ecclesiam, quæ tota fraternitas à Cypriano vocari solet, intellexisse



Quomodo qui negat voluisse Dominum confulere Ecclesiam suam usque ad consummationem seculi, cum rogauit pro Petro, ne deficeret fides eius, & eidem praecepit, ut aliquid quando conuersus fraternitatem, id est, ecclesiam firmaret scilicet in fide, Dominum faciat aut inuidum, aut insipientem, aut infirmum, id est, aut non luisset, aut nescisset, aut non potuisset.

pro Petro, ne deficiat fides eius, ut ipse in ea fide fraternitatem, id est, ecclesiam firmet? quis tam tardo, & hebeti ingenio est, qui hanc conexionem non videat? Responde igitur Antoni, putas ne hoc, quod Dominus dicit se rogasse patrem, utile, & necessarium Ecclesiae suae, quae tunc erat, fuisse? maxime, respondebis, Quis enim nisi excors aliter sentiat? Responde rursus, Putas ne ecclesiam tunc, quae tunc erat, rogatu suo apud patrem confulere voluisse, an etiam Ecclesiam usque ad consummationem seculi futura? & hic etiam hoc posterius respondebis, ne dominum, aut inuidum, aut insipientem, aut infirmum facere videaris. Rogauit igitur in Petro pro successore Petri, & eidem in Petro iussit firmare fraternitatem Ecclesiae Catholicae pro qua simul rogauit, ne deficeret fides eius, siquidem ob eam causam rogauit pro Petro, ut dixi, ne deficeret fides eius, ut in fide ecclesiam tanquam petra à Christo posita, firmaret, simul igitur rogauit pro ecclesia, ne deficeret fides eius, alioqui quomodo Petrus, & in eo successor eius, ut Dominus iubebat, ecclesiam in fide firmare instar petrae poterat, nisi ecclesia cum Petro, & successore eius fide stare? Blasphemus igitur est Antonius Sadeel in Deum patrem, & in filium eius, & in vtriusque spiritum, cum ait, iam pridem spiritum Dei, & verbum eius, id est, fidem à successione Pontificum Romanorum discessisse. Fides enim, quia charisma spiritus Dei est, spiritus secundum idioma scripturae dici consuevit, sicut Apostolus in epistola ad Corinthios. 2. habentes autem, inquit, eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquitur. hunc spiritum fidei vocasti tu spiritum Dei, siquidem statim adiunxisti, & verbum eius. fides enim, sicut idem Apostolus ad Romanos c. 10. scripsit, ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, ergo fides per verbum Dei. Sed quia tu ad probandum istum discessum, quem dicis, spiritus fidei, & verbi Dei à Pontificibus ecclesiae Romanis, nihil eorum, quae ad ministerium episcopatus pertinet, praestare: Interrogabo te, putas ne pertinere ad ministerium episcopatus Romani Pontificis facere, quod ei Dominus imprimis facere iussit? Quis hoc nisi amens negare potest? ergo firmare in fide fraternitatem vniuersae Ecclesiae, quod Petro primus iussit, & in eo successoribus, ad ministerium cathedrae Petri, id est, Episcopatus Romani Pontificis pertinet: vtrum verò hoc praestet, tu, qui discipulus Lutherus es, qui nomen, & disciplinam tibi dedit, & primus nostra aetate in Germania à cathedra Petri discessit, non es interrogandus testis, sed omnes mundi ecclesiae, quae cum synagogis Lutheranis, non habent communionem, ex quo tempore à Leone X. anathematizatus est ipse cum sua heresi, & omnibus sectatoribus. An non est firmare Pontificem in fide Ecclesiam Catholicam, haereses & eorum auctores anathematizare? concilia de dogmatibus fidei, vniuersae ecclesiae ad ministerium successoris B. Petri pertineat, & quomodo hoc in primis praestet, quod ei in primis in Petro, cui successit, iussit.

Quomodo Antonius Sadeel blasphemus sit in Deum patrem, & filium, & vtriusque spiritum, cum ait iam pridem spiritum Dei, & verbum eius à successione Pontificum Romanorum discessisse.

Quomodo firmare fraternitatem



fidei, & rebus religionis habita, auctoritate sua roborare? à patriarchis electis, quas synodicas de fide sua appellare, & ad Pontificem Romanum mittere olim consueverunt, requirere? Episcoporum electionem producta ab eis, & approbata fidei confessione, ratam habere? & consecrandi eos auctoritatem tribuere? si enim per successionem Episcoporum, doctrina Apostolorum, quam episcopis, quos dum viuerent, ordinarunt, tradiderunt, Ecclesie Catholicae traditur, ut paulò antè Apostolica constitutio in lib. Clem. VII. & B. Irenaeus eam sequutus atebant. Igitur qui eos mittit, id est, cuius auctoritate dicitur ab Episcopo, qui per impositionem manuum presbyterij, id est, cum alijs Episcopis eum ordinat, vale, predicat populo tibi commissio, is profectò ecclesiam in fide firmat. Quomodo enim, inquit, Apost. audient sine predicante? aut quomodo predicabunt, nisi mittantur. In Ecclesia igitur Catholica patriarchae, qui sunt maiores, mittunt Archiepiscopos sibi subiectos, quos ordinant, Archiepiscopi episcopos sua prouincias Episcopi presbyteros sua parocia; presbyteri enim sunt adiutores Episcopi in ministerio verbi secundum Apostolicam constitutionem, & traditionem. Si quare à te Antoni, à quo mittitur vestri ministri, siue superintendentes? quos nouo vocabulo, ut rem nouam decebat, conuenienter appellastis: à magistratu dices, quia ibi Episcopus dicere non potes, ubi sacerdotium extinctum est. Quis vnquam audiuit ministros verbi, manu laica ordinatorum? à vobis igitur, à vobis spiritus Dei, & verbum eius discessit, ex quo coeperunt predicare, qui non sunt missi, id est, ex quo Episcoporum successionem habere desististis. Horum enim fidem explorat, & firmat in cathedra Petri episcopus Romanus, sicut in B. Petro iussit ei Dominus, & ipsi aut per se predicant verbum, si possunt, quod faciunt infiniti; & si qui non possunt, (sunt enim diuisiones gratiarum, sicut sunt diuisiones ministrorum, & non omnibus datur sermo sapientiae, sicut Apost. ait, aut sermo scientiae) possunt alios mittere, sicut Apostolus ad Timot. scripsit, cum ait, & quae audisti à me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Rursus interrogabo te de Ecclesijs non paucis, neq; paruis, quae in vtraq; Germania fidem Ecclesiae Romanae tenent, et Episcoporum successionem: putas ne sic eas hodie credere, sicut ab initio cum primum eis euangelium predicatum est? an non? Si enim respondeas, non sic credere, sicut ab initio, necesse est dicas, quando, & quo auctore veram euangelij predicationem reliquerunt, ne mentiri, & tergiuersari videaris: quod si nescis, nec vnquam audisti, neque scire, aut probare potes, relinquatur, ut vel spiritus Dei, & verbum eius nunquam ab eis discesserit: vel nunquam in eis fuerit. Vtrum nobis dabis? Si enim nunquam discessit, nec ab ecclesia Romana, cuius fidem profitentur, & cui obediunt, vnquam discessit; si nunquam fuit, nec in Ecclesia Romana vnquam fuit. Quomodo igitur dicis iam pridem discessisse? aut dic quan-

Quae sint, & ad firmandum fraternitatem ecclesiae praecipue spectent.

Quomodo ecclesiam in fide firmat, cuius auctoritate Episcopi, quibus commissae sunt ecclesiae, ordinantur.

Quomodo spiritus Dei & verbum eius verè à Protestantibus discessit ex quo coeperunt predicare apud eos, qui non erant missi. De ministerio verbi in ecclesia Romana.

Quò ab Ecclesijs, quae in Germania fidem Ecclesiae Romanae tenent, vel nunquam spiritus Dei, & verbum eius discessit, vel nunquam in eis fuit, & quid inde sequatur.



Quomodo  
miser Anto-  
nius mife-  
ros Con-  
fessionistas  
decipit.  
Qualis Lu-  
therus Fro-  
testantium  
Euāgelista.

de, & à quo Pontifice primum discessit? & quare? & deinde numerat aliquos in  
falsa successione, sicut Pontifices in vera successione vsque ad sua tempora Ire-  
næus, Optatus Mileuitanus, Augustinus, & alij numerarunt. Si hoc facere non  
potes, cur miser miseros Confessionistas decipis, verius dicam illudis? à vobis  
igitur, dicam iterum, à vobis spiritus Dei, & verbum discessit ante annos vix  
LX. auctore Martino Lutero haresiarcha, monacho apostata, sacrilego, &  
incestis nuptijs virginis sacra Catharina de Boreis commaculato, & polluto,  
cùm semper ante superioribus sæculis, quod ab initio à vestris patribus, &  
maioribus audire fuerat, in eis, sicut Ioannes Apostolus in epistola sua prac-  
cipit, permanisset. Sed pergamus ad reliqua qua sequuntur. Præterea, inquis,  
videndum est, quinam sint ij, quibuscum sanctissimum hoc fœ-  
dus contractū est. Qui redeunt, inquit Esaias, à transgressionibus,  
& Paulus interpres Esaiæ, hoc, inquit, à me fœdus, cum abstulero  
peccata eorum. Et id Hieronymum in eam sententiam impulit,  
vt de solis electis hunc locum intelligat: quod si verum est, vt est  
verissimum, errat Turrianus τὰ τὸ ἐπόμενον, cùm ex ea pro-  
missione, quæ ad Catholicam electorum Ecclesiam pertinet, ar-  
gumentatur ad visibilem, localem, personalem, & cōtinuam Eccle-  
siarum successione; quid dico Ecclesiarum, imò vnus Ecclesiæ  
Romanæ, dum vnus vrbs mœnibus (quicquid tandē prætexat)  
Ecclesiam Catholicam circumscribit. Hic & Paulum & Hierony-  
mum corrupisti, & deprauasti. Paulus interpres Esaiæ, non dixit, hoc à me se-  
dus, sed hoc à me testamentum: testamentum enim significat διαθήκη.

Quomodo  
Antonius  
ausus est ci-  
rans Paulū,  
Paulū cor-  
rigere quod  
Hieron. nō  
est ausus.

igitur ausus es tu corrigere Paulum, Paulum citans? quid non audebis, qui hoc  
ausus? neque te excusabis auctoritate, aut exemplo Hieronymi. Hieronymus  
enim etsi ex Hebræo vertit fœdus, nō tamen ausus est, vt tu, Paulum corrigere,  
neq; ipsos LXX. Nouum igitur testamentum promittitur hic, & cessatio vte-  
ris, vt omnes patres notarunt. Nam si ipsis iudæis conuersis à peccatis suis hoc  
nouum futurum est testamentum, id est, si ille recipiendus, qui veniet ex Sion  
redemptor, & eius doctrina, quis non videt, non futurum locum veteri testa-

Quæ conti-  
neat nouū  
testamentū  
Locus Esaiæ  
spiritus me-  
us, qui est  
in te, & c.  
collatus cū  
loco Deut.  
& Euāge-  
lio.

mento? Promittitur igitur hic nouum testamentum, quod aduentum Chri-  
sti continet, & redemptionem eius, & adoptionem filiorum per spiritum  
eius, ac remissionem peccatorum, & doctrinam, ac ministros noui testa-  
menti, Apostolos, & eorum successores. His enim Christus, de quo scriptum  
est, requiescet super eum spiritus Dei, eundem spiritum impertiuit, sicut Domi-  
nus eis dixit, accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, & c. vt ipse  
alijs ministerio suo impartirēt, sicut Procopius Gazæus in commentarijs huius  
propheta ait. sunt itaq; verba patris ad filium, spiritus meus, qui est in te, et qua  
sequuntur.



sequuntur, ut idem auctor, & alij patres aiunt. Hac ipsa Prophetia eisdem verbis, etsi non totidem, est in Deuteronomio capite decimo octavo, ut beatus quoque Cyrillus observavit, cum ait, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi, &c. & Dominus in euangelio Ioannis cap. 17. verba mea, inquit, quae dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt. Hac omnia summam complexus est Dominus, cum Apostolo suo dixit ascensurus in caelum, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, manet enim hic in Ecclesia visibili cum Apostolo usque ad consummationem saeculi, quatenus verba, quae pater posuit in ore Christi, quae sunt novum testamentum, quod est virtus Christi in salutem omni credenti, & spiritus Christi ad praedicandum, ad ligandum, & solvendum, ad consecrandum, ad ordinandum, in apostolis manet per vicariam ordinationem successorum, quia Apostoli morte prohibiti sunt permanere, sicut Apostolus de veteribus sacerdotibus loquitur. videndum est nunc utrum hoc novum testamentum promissum fuerit hic Ecclesiae electorum, an omnibus credentibus? ac quis dubitat, quin eis promissum sit, quibus traditum est? traditum verò est omnibus, credere, & poenitentiam agere volentibus, licet multi eorum non permaneant usque ad finem; illis ergo omnibus promissum est. Hoc etiam dicit beatus Hieronymus, cuius tu testimonium contra te citasti, sic enim ait in eodem capite Esaiæ, ac ne putemus omnem redimi Sion, & eam de sceleribus liberari, quae Domini sanguine cruentata est, significanter adiunxit, his qui redeunt ab iniquitate, si voluerint agere poenitentiam, in quibus oratio Domini compleatur: Pater ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt. Haec Hieronymus. Videamus nunc, quod tu contrate, ut dixi, ex Hieronymo citasti. Haec, inquit, idcirco latius prosequuti sumus, ut quicquid repromissionum & legimus, & lecturi sumus, ad Sion, & ad Hierusalem, non generaliter ad omnes Iudaeos, sed specialiter ad eos dici intelligamus, qui in Apostolis, & per Apostolos electi sunt ex Israel. Haec Hieronymus. Si hic locus cum superiore convenit, ut quidem convenit, necesse est, ut electos vocet hic Hieronymus, non tantum electos ad gloriam, ut tu putasti, quos oportet perseverare usque ad finem, ut salvi fiant, sicut Dominus dixit, sed eos etiam, qui vocati sunt ad credendum, & agendum poenitentiam, licet non perseverent, sed à gratia excidant. Quae vocatio cum sancta sit, & caelestis, credere enim charisma est, nemo potest fieri particeps eius, nisi à Domino eligatur ad eam gratiam. Sic Apostolus cum ad Hebraeos credentes scripsit, inquit, unde fratres sancti vocationis caelestis participes, eam vocationem intellexit, quam beatus Petrus praecipit certam facere per opera bona, quod non omnibus vocatis contingit,

Quomodo manet in Apostolis usque ad consummationem saeculi novum testamentum, quod pater posuit in ore filij, manet scilicet per vicariam ordinationem Episcoporum, qui sunt Apostolorum successores. Quibus promissum & traditum sit novum testamentum electis ne tantum, an alijs etiam? Quomodo Antonius Hieronymi contra te citavit. Quomodo non intellexit Antonius quos nã vocavit hoc loco Hieronymus electos.



Quomodo  
scriptura  
sanctæ repu-  
gnat qui di-  
cit promif-  
sionē noui  
testamenti  
in hoc loco  
Esaia ad ec-  
clesiam in-  
uisibilem ele-  
ctorum per-  
tinerē.

sed electis ad gloriā. falsum igitur est, & scriptura sancta repugnat, quod ais, hanc promissionem noui testamenti ad Ecclesiam inuisibilem electorum pertinere, siquidem promissio sit ijs omnibus, qui ab iniquitate redire vellent: redire autem ab iniquitate secundum testamentum quod promittitur, non poterant, neq; possunt sine baptismo sacramento visibili: ergo visibilis est ecclesia, cui promittitur, quæ ex baptizatis, & ecclesie obediētib; congregatur. Ex quibus, qui fiduciam, & gloriā spei vsque ad finem firmam, sicut Apost. ad Hebræos scripsit, retinēt, electi sunt, quos solus Deus sci. ipse enim nouit, qui sunt sui, sicut idem Apost. ad Timoth. scripsit: qui verò nō retinent, reprob; interim tamen virosq; tanquam vnum corpus ex reprobis & electis, societate vitæ, nō sanctitate mixtum propter communionem visibilem sacramentorum haberi voluit Christus, secundum scripturam suam, vt ante auctore August. dixi.

Desine igitur miser Antoni, desine decipere miseros Confessionistas, desine suadere eis hanc in Esaia noui testamenti promissionem electis tantum factam esse, quod tu fallaciter testimonio Hieronymi probare voluisti, quasi verò incōstantia, & leuitas eorum, qui semel crediderunt euangelium, & penitentiam egerunt, & in mortem Christi baptizati sunt, licet fidem vsq; ad finem firmā nō seruauerint, beneficium Dei promissum non acceperint, quia frustra accepe-

Iusta repro-  
batio fidem  
Dei nō euacuat.

runt. Non ita est, absit. iusta reprobatio fidem Dei, & benignitatē eius, nec euacuauit, vt Apost. de Iudæis dicit; neq; deteriorem, aut minorem reddidit. si enim de Iudæis, qui non crediderunt, Apostolus dixit, Quid enim si quidam eorum nō crediderunt, nunquid incredulitas eorum, fidem Dei euacuauit? absit, inquit;

est autem Deus verax: quanto magis hoc dici debet de ijs, qui crediderunt, licet gratiæ Dei ipsi defuerunt, sicut Apostolus in epist. ad Hebr. scripsit, hortans ne quis desit gratiæ Dei, nunquid, dicam iterum, reprobatio iusta istorum fidem Dei euacuauit? absit, est autem Deus verax. Tu igitur mendacem facis Deum, qui, quod promissit credere volentibus, quia qui crediderunt, non permāserunt in fide, sed reprob; facti sunt, hanc in Esaia promissionem electis tantum & non reprobis factā esse impiē asseueras. Sed non effugies iudicij diuini seueritatem,

Quomodo  
Antonius,  
mendacem  
facit Deum,  
qui impie-  
tatis sue pec-  
nas dabit.

„ dabis pœnas impietatis tue. Prosequamur reliquas cauillationes. Ac ne quis  
„ promissionem hanc restringat ad visibilem Ecclesie faciem, re-  
„ clamat ipsum vocabulum Spiritus ab Esaia vsurpatum. sic enim  
„ ille: spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo,  
„ nunquam discedent ab ore tuo, &c. coniūgit efficaciam spiritus S.  
„ cum verbo Dei in hac promissione. Quæro igitur abs te Turriane,  
„ num hypocritæ & improbi, licet audiant verbum Dei, & ex-  
„ ternæ prædicationi intersint, fruuntur hac præclara promissione,  
„ & spiritus sancti virtutem interiorē perferant? quod si negas,  
effici-



efficitur, hanc Esaiæ prophetiam non esse externa facie definiendam. imò ipsum vocabulum spiritus, & vocabulum oris ab Esaiâ in hac promissione usurpatum, interpretationi tua impia reclamât testimonio omnium, quæ subter calu sunt ecclesiarum Catholicarum. In omnibus enim ecclesijs auditur ex ore episcoporum, cum episcopum ordinât, accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c. illis enim ipsis verbis, quibus Dominus Iesus spiritum S. Apostolis dedit, eundem spiritum ydem Apostoli ijs, quos ordinarunt, tanquam ministri cum impositione manuum impertierunt: & illi alijs, & deinceps vsque ad nos per successionem Episcoporum, qui sanctis Apostolis vicaria ordinatione, vt ait B. Cyprianus, succedunt, licet tu hoc etiam, vt impietatem Lutheri Doctoris tui superes, negas. Hac igitur verba cum ex ore Episcoporum audiuntur, ex Christi ore spiritualiter audiuntur: quia ipse *ὁ θεός* & *ὁ δευ- τερῶς*, id est, efficienter, & tanquam potestatem habens, spiritum sanctum tribuit: Apostoli verò *ὡς πρῶτος* & vt ita dicam, ministerialiter. Cum ergo dicitur in hac noui testamenti promissione, Verba mea, quæ posui in ore tuo, non discedet ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & ab ore seminis seminis tui, dicit dominus & nunc & in seculum: amabo te, loquitur de ore, quod loquitur & videtur, sicut cum Dominus per Prophetam loquitur, & scriptura dicit, os Domini locutum est? non credo negabis, ne ministros noui testamenti inuisibiles facere videaris, vt angelos: immò multo excellentius loquitur visibili ore ministrorum noui testamenti tanquam per membra sua; quia ipse Dominus Iesus carni, & sanguini communicauit similiter, vt ministri; multo excellentius dico, quam ore ministrorum veteris testamenti loquebatur. Si igitur ministri spiritus Dei, & verborum eius visibiles sunt, sunt igitur visibiles, quibus ministrantur spiritus, & verba, quæ hic promittuntur. cum enim ista, etsi spiritualia sunt, *ὡς πρῶτος*, id est, sensiliter ministrantur, necesse est, vt aspectabiles sint, & sub sensum cadentes, quibus ministrantur. Igitur quibus hic spiritus, & hæc verba, & eorum ministratio promittuntur, non sunt ecclesia inuisibilis, sed visibilis, si quidem ijs promittuntur, quibus ministrantur. Quod autem argumentaris, nõ esse hanc prophetiam definiendam externa ecclesia facie, i. non pertinere ad ecclesiam visibilem, sic enim tu intelligis: quia hypocritæ, inquis, & improbi, licet audiant verbum Dei, & externæ prædicationi intersint, non fruuntur hac præclara promissione: & spiritus sancti virtutem interiori non perferunt. An quia fructum ex euangelio non percipiunt hypocritæ, idcirco non pertinet ad eos euangelium? quomodo igitur iudicandi sunt, sicut Apostolus ait, secundum euangelium in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum? Si cor hypocritæ in quo iuxta parabolam euangelij semen, quod est verbum Dei, seminatur, esset natura sua lapideum, aut spinosum, aut

non

Quomodo  
Antonius  
impietatem  
Lutheri su-  
perat, cum  
Episcopos  
negat suc-  
cessores esse  
apostolorum.  
Cum verba  
noui testa-  
menti ex ore  
sensibili epi-  
scoporū au-  
diuntur, ex  
ore Christi  
spirituali-  
ter audiun-  
tur.

Quomodo  
promissio  
noui testa-  
menti non  
est facta per  
Prophetam  
à Deo ecce  
sic inuisibi-  
li, sed visi-  
bili.

Quomodo  
si ministri  
spiritus Dei  
& verbi eius  
sunt visibi-  
les, necesse  
est, vt quibus  
hæc mini-  
strantur, vi-  
sibiles sint.

Quam sit  
absurdum &  
scripturæ  
sanctæ repug-  
nans, quod  
ait Antonius



non perti-  
nere ad Eu-  
angelium  
in prophe-  
tia Esaiæ  
promissum  
hypocritas.

non intelligens, non malè diceretur, non pertinere verbum Dei ad hypocritas, sed ad terram bonam, id est, ad eos qui audiunt, & intelligunt, & fructum asferunt, cum verò non sit tale nisi sponte sua, & ut ferret fructum, semen verbi Dei in eo seminatum est, sequitur ad eum pertinere hanc noui testamenti promissionem. Deinde si hypocritas vocas, qui hypocrite reperiuntur, cum ex hac vita recedunt, qui sunt reprobi, docui paulò antè ad reprobos etiam pertinere nouum testamentum, siquidem ipsis etiam traditum fuit, & ei crediderunt, & secundum eum iudicandi sunt. Sed quid de eis dices, quandiu fuerunt non hypocrita, sed probi, & iusti, & Deum iumentes, & qui, ut tu dicitis, præclara promissione fruebantur, & virtutem spiritus sancti interiorè sentiebant? an dubitabis reperiri tales, qui cum diu stetissent, tandem ceciderunt? qui stat, inquit Apostolus, videat ne cadat. Si te interrogem, vnde illis illa spiritus sancti virtus interior, quam sentiebant, dum stabant? sanè quidem respondebis, si tibi constes, ex promissione ista præclara spiritus sancti, & verbi Dei; ita fiet, ut des hanc prophetiam pertinere, & non pertinere ad huiusmodi hypocritas.

Quomodo  
auctore An-  
tonio pro-  
phetia Esaiæ  
ad hypocri-  
tas pertinet  
& non per-  
tinet.

Similiter pertinere, & nõ pertinere ad electos, siquidem cõtingere solet, ut qui electi sunt, id est, qui ad extremũ in domino moriuntur, dum in vitiis fuerunt, diu, multumq; se ad peccandum dedissent. Vide quantis absurditatibus plena est ista tua de Ecclesia inuisibili electorum cœca, & heretica opinatio, ecclesia enim electorum, ut sapius dicã, ecclesia visibilis est, quia est vna Ecclesia communis omnium & reproborum, & electorum, in qua qui sint electi, & qui reprobi, solus Deus nouit.

Quam ple-  
na absurdi-  
tatibus sit  
cœca & hæ-  
retica opina-  
tio Antonij  
de Ecclesia  
inuisibili.

## CAPVT III.

**A**rgumentaris deinde, interrumpi potuisse, & interrup-  
tam esse in captiuitate Babylonica, & postea in Ma-  
chabæis ex tribu Leui, continuam & visibilem succes-  
sionem sceptri in tribu Iuda promissam in prophetia  
Iacob de non discessuro sceptro ex tribu Iuda, donec veniret ex-  
pectatio gentium, id est, Christus, & tamen semper fuisse veram  
prophetiam Iacob, simili, inquis, ratione, licet ad tempus interrup-  
pta fuerit ordinaria, visibilis, & legitima pastorum successio, sem-  
per tamen hanc Esaiæ prophetiam verissimam permanisse. Aut  
Deum hic facis mendacem, aut te. Sit optio, vtrum malis, credo eliges cum apo-  
stolo, ut sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Dicit semper veram fuisse  
prophetiam Iacob, quæ affirmat nunquam discessurum principatum à tribu Iu-  
da, ergo nunquam discessit, & Deus verax est, & tu mendax; aut si discessit, &  
tu verum dicitis, Deum facis mendacem. Tu verò, ut probes, interruptam esse suc-  
cessionem

Quomodo  
Antonius  
zurlus facit  
Deũ menda-  
cẽ; aut ipse  
Antonius  
metitur, vt  
sit Deus ve-  
rax.



cessionem externā principatus Iudæ, Age, inquis, nunc Turriane ostende nobis sceptrum Iudæ visibile conspicuum, illustriq̄ue successione vigens. tunc, cū omnes Iudæi tyrannico illo iugo premebantur.

Respondendum est hic primum, quod Theophanes Episcopus Nicæe ante annos septingentos in symphonia veteris, & noui testamenti contra Iudeos, de hoc loco eruditissimè differens respondit, interpretabor Latine. Quomuis, inquit, iudicio, & opinione humana res congruere, & conuenire non viderentur, hæc tamen fallere possunt, at diuina prophetarum prædictio nequaquam. Tamen si limatè, & diligenter consideremus, veritatem prophetia eliciemus. diximus post hanc prophetiam patriarcha fuisse postea promissionem Dauidi afflatam, quæ erat, semen eius manere stabile in seculum, vt in Psalm. 88. ait, & in Psalm. 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, ex si uctu ventris tui ponam super sedem tuam, si serauerint filij tui testamentum & testimonia hæc, quæ docebo eos: & filij eorum sedebunt super thronum tuum. promittit ergo hac lege, si seruent filij eius testamentum Dei, & testimonia eius; quia quia plerique eorum aspernati sunt, & contempserunt, idcirco, à principatu scilicet regio, eos per Babylonios remouit. Atque hoc quidem responsum sit de regno Dauid & principatu regali eius, non continuato, sed interrupto. Hactenus Theophanes. Dauid igitur sua prophetia posteriore interpretatus est patriarcha Iacob prophetiam de nõ discessuro sceptro à tribu Iudæ, sic intelligendam esse, si tamen testamentum Dei seruaerent, id est, à cultu Dei, secundum testamentum eis datum non discederent: & Salomon filius eius eandem interpretationem confirmat in illa oratione dedicationis templi, Conserua, inquit, famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei dicens, non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel; ita tamen, si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me, sicut tu, &c. tunc autem plantè à cultu Dei secundum testamentum eius discesserunt, cum, sicut scriptum est in 2. Par. cap. 36. vniuersi principes sacerdotum, & Populus prauartari sunt iniquè, iuxta vniuersas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Hierusalem, & paulo post, ductus in Babylonem seruiuit regi, & filijs eius, donec imperaret rex Persarum, & completeretur sermo Domini ex ore Hieremia: vsque dum completerentur 70. anni, &c. & Hier. c. 25. Nolite ire post Deos alienos, vt seruiatis eis, adoretisq̄ eos, neq̄ me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum vestrarum; & nõ affligam vos; & non audistis me dicit Dominus, &c. & paulo post, & Nabuchodonosor regè Babylonis seruum meum adducam super terram istam, &c. Idem testatur Ezechiel propter cultum Deorum alienorum ductos esse Iudeos Babylonem captiuos. Iudè ipse Dominus cum post dedicationem templi apparuit Salomoni no-

Theophanes Episcopus Nicæe de Prophetia Iacob, & sceptro Iudæ.

Quomodo Dauid sua prophetia posteriore priorè prophetiã Iacob de sceptro nõ auferendo tribui Iudæ, donec veniret expectatio gentium, interpretatus est. Multiplex testimoniũ scripturæ ppter idolatriam ductos esse Iudeos captiuos Babyloniam.

P Æte, sicut



Est, sicut scriptum est 2 Par cap. 7. propter peccatum idololatriæ ducendos esse captiuos minatus est, si abeuntes, inquit, seruiertis dijs alienis, & adoraueritis eos, euellam vos de terra mea, quã dedi vobis, &c. & paulò post: apprehenderunt deos alienos, & adorauerunt eos, & coluerunt: idcirco venerunt super eos vniuersa hæc mala. mala dicit captiuitatis Babylonica miseria, & angores. Et in maledictionibus Deuteronomij erat, vt dispergatis per vniuersa regna terra, si secutus fueris deos alios, & colueris eos, quod quidẽ in captiuitate

Iudæos nunc per vniuersa regna dispersos esse non propter idololatriam sed propter impietatem, id est, quia negantes Christum sunt sine Deo. Tu igitur Antoni, qui successione vicaria ordinationis Episcoporum interruptam esse dicis, & istam interruptionem cum inruptione successiois in regio principatu Iudæ comparas, cum iustus sit Deus, & tanto grauius peccatum esse oportet, propter quod facta sit nobis ista interruptio successiois sacerdotij, quam peccatum, propter quod interruptus fuit regius principatus Iudæ, quanto excellentius est sacerdotium, quam regnum terrenum, Responde, quod istud grauius peccatum, quam idololatria esse poterit? & ne nunc de grauiore disceptemus, saltem aequale idololatriæ non est aliud quam & dicitur, aequale enim est deos multos facere, & nullum. Nos igitur aut sine Deo sumus, aut multos deos alienos habemus, nisi forte hoc posterius dicturus es, quia nos imaginem Christi, id est, Christum in imagine adoramus, & imagines sanctorum non propter aliquam diuinitatem, quam in imaginibus esse putemus, sed propter gratiam Dei, qua in illis ipsis prototypis tam copiose habitauit. At vt sæpe aliàs à me scriptum et demonstratum est, Christum venisse, necesse est cum Iudæis neget, aut prophetas mendaces faciat, qui imagines, quæ in omnibus ecclesijs Christianorum sunt, exceptis synagogis Lutheranis, idola esse dicit, siquidem Dominus cum per alios, tum per Zachariam, & Sophoniam prophetas promissit per aduentum Saluatoris delenda esse idola, quod quidem per prædicationem Apostolorum fieri cœpit, qui etiam imaginem Saluatoris, & sanctorum eius docuerunt: ἀντεικονίζειν ἀντιπρὸ τῶν εἰδωλῶν, ὡς μήκεν πλανᾶσθαι ἐν εἰδωλοῖς, id est, docuerunt, ex aduerso coram idolis ponere, ne in idolis errarent. Ita statuerunt sancti Apostoli Antiochia. Meminit Apostolica synodi Antiochena S. Innocentius: testatur Pamphilus martyr repertum fuisse hunc canonem apostolicum de imaginibus in bibliotheca Origenis: recitauit totum canonem. Græcè libro 1. cap. 25. de canonibus Apost. Si sanctas imagines Christi, & sanctorum eius ad auertendum errorem, & cultum idolorum Apostoli tradiderunt, quomodo erunt idola? Deinde, si interrupta est ista successio sacerdotalis propter peccata, aliqua erit placandi Deum ratio, per poenitentiam scilicet, sicut misericordiam Dei decet, & sicut in illa captiuitate contigit, & sicut Hieremias

Iudæis



Iudaeis captiuis spem venia, si eos anteacta vita poeniteret, in persona Domini promittebat. Sic enim ait c. 29. cum caeperint impleri 70. anni, visitabo vos & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum. Ego enim scio cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis finem, & patientiam. Et inuocabitis me, & viuetis, & orabitis me, & ego exaudiam vos: Quaretis me, & inuenietis; cum quaesieritis me in toto corde vestro, inueniar a vobis, & reducam captiuitatem vestram, &c. Dic igitur Antoni, Qua ista poenitentia erit? quorum peccatorum? quid faciemus, ut reducatur, & instauretur successio Episcoporum interrupta? est ne recipiendum nobis euangelium Lutheri? si enim recepto euangelio Lutheri, successionem Episcoporum habituri sumus, vos igitur, qui euangelium nouum a Luthero accepistis, successionem Episcoporum adhuc habetis. At non habere vos Episcopos, & libentes fatemini, & mutatio ista nominis Episcopi apud vos testatur. Vnde ergo post poenitentiam petemus ordinationem Episcoporum? ubi erit nobis semen seminis? in omnibus enim cuncti orbis ecclesijs euangelium vestrum anathematizatur. Si non credis, exi ex Germania ad experiendum. Sed redeamus ad principatum Iuda. Quid? Si reuera nunquam est interruptus, ne in captiuitate quidem Babylonica, non loquor de principatu regis, qui interruptus fuit propter peccatum idololatria, quod Iacob in spiritu vidit, sed de principatu ducis; et si enim in captiuitate non regnabat tribus Iuda, erat tamen dux & princeps aliarum tribuum: idcirco Patriarcha non dixit solum non defecturum sceptrum, quod regni erat, sed addidit, & dux de saemore eius. Hic igitur principatus semper fuit, etiam in captiuitate, ut Procopius Gazaeus affirmat, tametsi obscurus, inglorius, & inhonoratus esse videretur, quasi non esset, sicut Aggeus Propheta comparans splendorem & decus secundi templi, cum splendore, & gloria primi, quis, inquit, in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Sic de tribu Iuda dicendum est; quamuis honor, & principatus, quem in captiuitate illa Babylonica habebat, comparatus cum illustri honore, & splendido principatu, quem in Iudaea habuerat, in oculis Israelitarum, qui in illa seruitute erant, quasi nullus esset, erat tamen secundum legem, & prophetas in illo statu seruii, & misero, ac calamitoso inter ceteras tribus eiusdem miseria consortes primaria, & princeps, & iure quoda praerogatiuo ceteris semper antelata propter Messiam ex illa tribu promissum, & a Patriarcha Iacob, et alijs prophetis prophetatum. Itaque, ut non consistebat illius principatus Iuda praerogatiua in splendore externo, qui interrumpi potuit, sed in Dei dignatione, cuius dona sine poenitentia sunt, sicut Apostolus ait, ita illa captiuitate non est interruptus, imo tu hoc confiteris, licet confessionem veritatis cauillando, & tergiuersando obscurare

Quod in captiuitate Babylonica non fuit interruptus principatus tribus Iuda, et si interruptum fuit regnum.

De principatu tribus Iuda propter Messiam ex illa tribu promissum. In quo consisteret praerogatiua principatus Iudae.



Quomodo confessionē veritatis cavillando, & tergiversando obscure nititur Antonius

niteris, ais enim, semper tamen veram fuisse Iacob prophetiam: igitur in captivitate Babylonica nō est interruptus principatus Iuda à patriarcha pphetatus, & promissus. Ipse n. dixit non deficiet, igitur nō defecit in captivitate, siquidem verū dixit, & tu fateris, ac pinde nihil ex ista prophetia, & captivitate Babylonica ad probandū interruptā esse successionem episcoporum, in quo sudas, attulisti. Sed videamus quomodo hic tergiversaris non intelligens scripturam. Age

nunc, inquis, Turriane, ostende nobis sceptrum Iudæ visibile, conspicuum, & continua, illustriq̄ue successione vicens in captivitate Babylonica tunc, cum omnes Iudæi tyrannico illo iugo premebantur. Verum est non regnasse tribum Iuda in captivitate Babylonica, immō neq̄ post reditū ex captivitate. Ieconias enim filius vltimi regis Iuda, & filius eius Salathiel, & huius Zorobabel, in captivitate fuerunt sine regia potestate, & dignitate: & completum est, quod Dominus per Hieremiam minatus Ieconia fuerat inquitens Hier. 22. in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super thronum, siue solium David, & potestatem habeat vltra in Iudæa, nec tamen hoc impedit, quo minus tribus Iuda semper, etiā in captivitate princeps inter ceteras tribus habita fuerit; nec hoc ille status calamitosus, nec illa captivitas impedire poterat, sicuti neq̄ hodie regnum tyrannicum Turcarum prohibet, quominus sacerdotiū Christianorū, qui in eo sunt, honorem suum retineat, tametsi propter angustias, et rerū asperitates, paruum, & prope nullum nitorem habeat. quam liberè autem Iudæi alioqui captivi in illo Babylonicorum regno viuerent, testes sunt illi senes, qui Susannam iniquè iudicarunt. Quod quidem cū Africano inusitatū, & præter opinionem hominū videretur, vt captivus, legibus suis vi à rege permitteretur, idq̄, ad negandū historiam Susannæ ingens argumentum, & testimonium esse putaret, respondet

Quomodo Principatus tribus Iuda nunquam fuit interruptus nec in captivitate, neque post reditū.

Testimonium Origenis de libertate Iudæorum in captivitate Babylonica

Origenes in epist. eruditissima, quam ad eum pro defensione historia Susannæ scripsit, εἰκὸς ἀρκεδόντας τὴν ἀστυρίαν τῶ ὑποχειρῆς αὐτοῦς ἔχειν ἑταίρα τὴν ἀστυρίαν, οὐκ ἔστιν ἀδικία δικαστήρια παρ' ἐστίν, inquit, credere, cum satis haberent Assyrii tenere illos captivos, permisisse eis sua iudicia. Probat autem exemplo, & experientia, quod dicit idem Origenes; sic enim ait: καὶ ἰσθῶν τὸ δίδραχμον αὐτοῖς τελεῖται, ὅσα συγχωρῆντι καὶ τῶ ὁ ἐθνάρχης παρ' αὐτοῖς δύναται ὡς μηδὲν διαφέρει βασιλεύοντι τῶ ἔθνους, ἵσθῶν οἱ πεπειραμένοι, γίνονται δὲ κοίτηρια λεηλότως κατὰ τὸν νόμον, καὶ καταδικάζονται τῶ ἐπὶ θανάτῳ, ὅτε μετὰ τῆς πάντῃ εἰς τῆτο παρρησίας, ὅτε μετὰ τῆ λαθροῦ τὸν βασιλεύοντα, καὶ τῶ ἐν τῆ χώρα τῶ ἔθνους πολὺν διατρέφαιτες χρόνον μιμαδῆκα μὲν, καὶ πεπληροφόρητα.   
 Ante: pretabor Latine, At qui cum alioqui Iudæi didrachmum Romanis pensissent, quantum tamen Cesare concedente, possit apud eos princeps Iudæica gentis, ita vt nihil differat ab eo, qui dominatum gentis tenet, scimus nos, qui ex-



perti sumus. Fiunt autem iudicia occulte secundum legem, & damnantur non-  
 nulli capite; non quidem quod omnino hoc praesidenter audeant; sed neq; clam  
 imperatore hoc faciunt; atq; hoc quidem qui diu in regione illius nationis mo-  
 rati sumus, cognouimus, & exploratum habemus. itaque cognouit propheticè  
 Patriarcha Iacob non esse futurum principatum regium in illa tribu, dum ca-  
 ptiuitas Babylonica duraret, neq; postea, quin potius throno regie propter pec-  
 catum idololatriæ priuandos esse, idcirco non dixit solum, non auferetur, aut  
 deficiet, siue, vt tu dicis, discedet regnum siue rex, sed ἀρχων, id est, princeps,  
 & ἡγεμῶνος, id est, dux, sic enim interpretati sunt LXX. quorum sensa, &  
 paraphrases sancti Apostoli, pro scriptura sancta, cui non licet contradicere,  
 sequenter citare solent: ne tu audeas, vt soles, vllam aliam interpretatio-  
 nem illorum interpretationi antepone. est autem ἀρχὴ, vel βασιλική, vel ἡ-  
 γεμονικὴ, istam ergo prerogatiuam ἀρχὴς ἡγεμονίας, siue ἀρχὴς ἡγεμο-  
 νίας, id est, principatus, & praefectura tribus Iuda significauit Iacob Patriar-  
 cha illis verbis, laudent te fratres tui, vt Procopius Gazaeus in commen. Genes-  
 is notauit: cui etiam dicit conuenire illud, & manus tua in ceruicibus inimicorū  
 tuorum tanquam ἡγεμῶν κατὰ τὸ πτολεμαίων, id est, tanquam duci aduer-  
 sus hostes. Hanc tribum iussit Dominus praere post mortem Iesu Naue aduer-  
 sus Cananeos, vt scriptum est in libro Iudicum c. 1. hac tribus in castrametationibus  
 solitudinis in illo exitu ex Aegypto prima mouebat castra iussu Dei, sic  
 enim scriptum est in libro Nume. cap. 2. & per turmas suas primi egredien-  
 tur, & cap. 9. de tribu Iuda, Mouerant, inquit, castra primi iuxta imperium  
 Domini per manum Moysi: item in dedicatione tabernaculi prima hac tribus  
 obtulit dona Num. cap. septimo. hac tribus in lib. Par. priore cap. 2. prima ἡ-  
 γεμονικῆς, id est, huius tribus prima posteritatis successio recensetur, & licet  
 iudices ex alia, & alia tribu essent, hac tamen tribus semper fuit, vt ait Pro-  
 copius καὶ δόλος princeps inter ceteras. Adde, quod Pontifices, quia cognati e-  
 rant tribus Iuda, principes erant. propter hunc ergo principatum tribus Iuda,  
 qui in captiuitate fuit (qui licet obscuraretur, nunquā tamen extinctus fuit, vt  
 penitus deficeret, hoc n. significat ἐκείνου) factū est, vt Zorobabel in illo redi-  
 tu ex captiuitate dux, & praepositus esset redeuntib. Igitur in captiuitate nun-  
 quam principatus Iuda secundum propheticā Patriarcha veritatem interrup-  
 tus fuit: multo etiam minus post reditum. Siquidem semper deinceps fuit suc-  
 cessio Pontificum ex tribu Leui, qui praerant toti populo, quiq; genere materno  
 ex tribu Iuda erant oriundi. Siquidem Aaron, vt est in Exod. cap. 6. vxorem  
 ducit in Aegypto Elizabeth filiam Aminadab sororem Naafon principis filio-  
 rum Iuda, vt est in libro 1. Par. cap. 2. hac ratione Elizabeth vxor Za-  
 chariae sacerdotis cognata erat Maria Virginis, sicut Angelus dixit virgini,

Quare in  
 propheta  
 Iacob non  
 dixit solum  
 nō deficiet  
 ἀρχων  
 quod ex He-  
 braeo Hier.  
 vertit sce-  
 ptrum, sed  
 addidit  
 ἡγεμῶνος,  
 id est, dux.  
 Duplex  
 principatus  
 regius, & p-  
 rogatiuus.  
 Ex quibus  
 locis scri-  
 pturae con-  
 stet princi-  
 patus tribus  
 Iuda.  
 Quomodo  
 principatus  
 Iuda, nec in  
 captiuitate,  
 ac multo  
 etiam min-  
 post reditū  
 defecit pe-  
 nitus.  
 Quomodo  
 tribus Iuda  
 & Leui in  
 vnā tribum  
 propter cō-  
 iunctionem  
 matrimo-  
 niorum co-  
 ierint; &  
 quō serua-  
 tus sit nu-  
 merus 12.  
 tribuū diui-  
 sa tribu Io-  
 seph in da-  
 as, quae ma-  
 trimonia  
 non iunge-  
 bant.



ecce Elizabeth cognata tua, &c. itaque haec duo tribus miscbant matrimonia. Unde factum est, inquit Theophrastus, cuius paulo ante memini, ut sicut tribus Ioseph distributus fuit in duas, Ephraim, & Manasse, quia non miscbant matrimonia, sic propter coniunctionem, ac communionem coniugiorum tribus Iuda, & Leui in una coierint. sic enim sit, ut sint duodecim tribus, sicut fuerunt 12. principes tribuum, tribus scilicet Ioseph in duas, Ephraim, & Manasse diuisa, & tribus Iuda & tribus Leui in una copulatis, quod quidem ratione quadam diuina & mystica ait idem auctor factum esse. quia enim, inquit, omnes res Hebraeorum typi erant, & umbra oeconomiae Christi, coniunxit autem saluator noster in se cum vero sacerdote regnum, idem sacerdos, & rex, idcirco regalis tribus copulata est cum sacerdotali, ut symbolum esset, & typus regni, & sacerdotij caelestis in Christo copulati, & coniuncti. Ob eandem enim causam Melchisedech typus Christi fuit, quia fuit idem rex, & sacerdos. In pontificibus igitur, qui usque ad aduentum Christi principes fuerunt, principatus Iuda continuatus fuit. tunc enim in aduentu Christi Herodes primus rex alienigena Arabs, & Idumaeus factus est, & ipse primus Allophylum pontificem Ananelum Iudaei praefecit, ut Iosephus auctor est. Ex eo tempore genus Iuda, & Dauid perturbatum penitus fuit de regno, & principatu. Huiusmodi continuationem, & perpetuitatem principatus Iuda in Pontificibus usque ad aduentum Christi significauit Dominus, cum eam promittens post reditum ex captiuitate ait per Hierem. cap. 33. non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum Israel, & de sacerdotibus & Leuitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocaustum, &c. Quo in loco Theodoretus post Zorobabelem, inquit, nullum nouimus, qui ex tribu Iuda fuerit dux, vera tamen nihilominus prophetia extitit, quia permixta fuit utraque tribus Iuda, & Leui: sacerdotes autem usque ad Herodem principes fuerunt. idcirco haec prophetia sacerdotes cum Dauid coniunxit, &c. Haec tamen Theodoretus. iam intelligis Antoni, si tamen intelligere vis, quemadmodum nunquam principatus Iudae fuit interruptus, nec in captiuitate Babylonica, neque post liberationem captiuitatis, & reditum: Et quod mihi obiecebas  $\tau\acute{o}\ \delta\epsilon\ \nu\epsilon\ \kappa\alpha\iota\ \tau\acute{o}\ \pi\alpha\iota\acute{o}\nu$  confundere, tu facis, qui principatum Iudae interruptum esse dicebas, quia nullum splendorem in captiuitate habuisset; quod perinde est, ut si diceres, non fuisse, quia non sic, vel non talis, hoc est, non splendidus fuisse; hoc erat substantiam & quale, siue rem, & qualitatem rei in unum confundere, quasi principatus Iudae in nitore & pompa externa situs fuisse; & non potius in prerogatiua, ut antea dixi, ex dignatione Dei propter ortum Christi inde futurum. Illud uero absurdissimum est, quod tu adinuenisti ad tuendam ueritatem prophetiae Iacob de perpetuitate principatus Iudae futurae, conseruatas scilicet fuisse illius sceptri reliquias in trunco Isai, ut ait Esaias

Tribus Regalis & sacerdotalis communiōe matrimoniorum in unam copulata propter mysterium Christi regis caelestis, & sacerdotis secundum ordinem Melchisedech. Quando funditus defecit principatus Iuda. Quomodo principatus Iudae in Pontificibus continuandus usque ad aduentum Christi, praedictus, & praesignificatus fuerit à Hierem.

Quomodo Antonius rem, & qualitatem rei in unum confundit.



cap. II. Si post reditum ex captiuitate non fuit visum semper, vt fingit, genus Iudahabere sceptrum, id est, principatum & thronum super domum Israel secundum promissionem, quam paulo ante dixi in Hieremia factam, quomodo contines Iudaeos per prophetiam Patriarchae, venisse Messiam, quem expectant miseri? habebunt te adiutorem ad negandum, si audierint post reditum ex captiuitate non fuisse visibilem sceptri, aut principatus successionem in genere tribus Iuda. Imò si audierint, te execrabuntur, quia negas visibilem thronum Pontificum, qui post Iesedec, qui cum Zorobabele ex captiuitate egressus est, secuti sunt, qui cognati fuerunt Iuda genere materno. Haec enim duae tribus Leui, & Iuda, vt dixi, matrimonia post reditum iungebant, sicut à principio Aaron filiam Aminadab ex tribu Iuda duxit uxorem, vt postea Ioada Pontifex filiam regis Ioram, vt est in 2 Par. c. 22. atq; ita in Pontificibus conseruatus est principatus Iudae, & prophetia Patriarchae Iacob ad effectum perducta, vt sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Deinde, quomodo dicis, reliquias sceptri Iuda conseruatas fuisse in trunco Iesse, sicut ait Esai. 11. An regnum Christi de quo Esaias propheta, terrenum est, sicut fuit regnum Dauid? quod si non est, vt tu plane respondebis, quomodo reliquiae regni terreni Dauid (de huius. n. regni continua successione disputamus) in trunco Iesse, vt tu dicis, conseruatae fuerunt? reliquias enim eiusdem naturae, & rationis esse oportet, cuius est id, cuius reliquiae sunt: quomodo ergo in vnum commisces, & confundis regnum Dauid terrenum & regnum Christi caeleste, in quod illud translatum est? videte vos Confessionista, quam absurde Antonius vester tergiuerfetur, ne successionem principatus Iuda visibilem vsque ad Christi aduentum fateatur. Illud etiam non est dissimulandum, quam peruersè neg, sciens scripturas, neg, virtutem Dei, quod Dominus in Euangelio Sadducæus exprobrauit, ex radice truncum fecisti in loco Esai. & ex flore surculum, pessimus scripturae exarator. sic enim paraphrasticè locum Esaiæ citasti. Et certè Christus tanquam surculus prodiens ex illo trunco, vt ait Esaias c. 11. illud esse verissimum comprobauit, illud scilicet, quod proximè dixeras, reliquias sceptri Iuda conseruatas fuisse in illo trunco, &c. Apponam hic interpretationem eruditam huius loci Esaiæ ex Theophrasto, cuius antè memini, sic enim in symphonia veteris, & noui testamenti, Tropologia verò, inquit, virga, & floris non casu, sed mystica quadam ratione posita est. constat enim, inquit, in arboribus στελεχος, id est, virgam, siue truncum immediatè prodire ex radice; florem verò rursus ex virga immediatè: vnde & hic virgam vocat virginem ac matrem Dei ex radice immediatè proficiscentem: quia scilicet ex coniunctione viri, & feminae in vitam ingressa fuit. Si quidem radix non est simplex quid, & μορφοειδής, id est, vnius formae, sed ex diuersis partibus constans, quibus qualitatem terra attrahit, & in vnum cor-

Quomodo Antonius fat adiuutor Iudaeorum ad negandum aduentum Messiae.

Quomodo Antonius regnum Dauid terrenum & regnum Christi caeleste in vnum confundit, quo nihil absurdius esse potest. Quomodo Antonius ignorans scripturas, & virtutem Dei ex radice truncum fecit in loco Esaiæ de ortu Christi.

Theophrastus interpretatio loci Esaiæ, egredietur virga de radice, &c.

Explicatio tropologiae radices, & floris in loco Esaiæ



pus coalescens, producit super terram arborem. Florem verò vocat Christum, quia ex sola virgine sine coniunctione alterius egressus est. Siquidem & flos ex sola virga, quæ est *μωαδης*, id est, vnius forme, prouenit. Appellauit autè florem, & non fructum, significans post gratiam incarnationis, celerem conuersionis eius in terra transitum; ex radice verò dixit florem egressurum, ut demonstraret non esse florem falso apparentem, sed hominem verum ex radice illa, &

Quare dixit  
Propheta &  
Flos ex radi-  
ce eius?  
Quomodo  
Antonijs  
mysterium  
reconditū in  
Tropologia  
radicis &  
floris Iudaica  
interpretatione ob-  
scurauit.

tribu Dauid profectum secundum promissionem Dei illi factā. Hactenus Thio-  
phanes. Hoc tu mysterium Christi ex virgine sine coniunctione viri nati in Tre-  
pologia prophetica radicis & floris reconditum, tua peruersa, & Iudaica in-  
terpretatione tanquā quadā caligine obduxisti. Hactenus responsū sit ad illa, qua  
dixi in notatione verbi discendendi, cum ait Esaias, nō discedent ab ore tuo, &c.  
Respondeamus nunc ad ea, qua in notatione vocabuli seminis attulisti. Tria enim  
eligisti in loco Esaiæ, scilicet duo vocabula, vnum discendendi, & alterum semi-  
nis, & vtriusq; vocabuli complexionem, ad fabricandum in eis tuas cauillatione-  
nes, quibus locum propheticum eluderet.

## CAPVT IIII.

Am despiciamus, inquit, quid Esaias sibi velit nomine se-  
minis. Turrianus exponit semen de solis Apostolis, &  
Episcopis, sed refellitur expressis contextus verbis. E-  
go, inquit Deus, hoc fœdus meū cum illis pangam, &c.  
per illos totam Ecclesiam intelligit. Et cerè si de solis Ecclesie  
pastoribus intelligendum sit, ergo actum est de reliquorum om-  
nium salute, quandoquidem extra fœdus Dei spes salutis esse nul-  
la potest. Sine mendacijs nihil contra disputare potes. Vbi ego dixi, quod Esa-

Antonijs  
mendacium

ait, hoc illis à me testamentum ( sic enim secundum LXX. Apostolus in epist.  
ad Rom. citauit) de solis ecclesie pastoribus intelligendum esse, & non potius de  
tota Ecclesia? quod si nunquam à me dictum ostendere potes, nec ex ijs, qua  
scripsi, sequi relinquitur, ut tu more tuo ad cauillandum sinxeris. Quis dubita-  
re potest, quin vniuersæ Ecclesie datum sit testamētum nouum? quod tu semper  
vocas fœdus, quod in hoc vocabulo magis cauillationes tuas insidiosas latere  
posse existimasti. Sed ut hoc concedendum est, promissum esse hic vniuersæ Ec-  
clesie testamentum nouum; ita etiam contendo promissum quoq; esse hic vna  
cum testamento nouo ministerium eius: sine quo nec Ecclesia esse poterat, neq;  
testamētum ipsum predicari. Quomodo enim, inquit Apostolus ei credent, quæ  
non audierunt? quomodo autem audient sine predicante? Quomodo verò pra-  
dicabunt, nisi mittantur? sicut scriptū est, quam speciosi pedes euangelizantium  
pacem, euangelizantium bona. Pacem enim, & bona vocat, quæcūq; nouum  
testa-

Quomodo  
cū promif-  
sione noui  
testamenti  
coniuncta  
est promif-  
sio ministe-  
rij eius in  
loco Esaiæ.



testamentum continet. Et in epist. ad Corinth. quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primo Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, &c. & subiungit, nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes prophetae? nunquid omnes doctores? &c. Cum autem hac sit Apostolica regula interpretandi vetus testamentum, vt consonet nouo: & nouum, vt consonet veteri, sicut in constitutionibus Apostolorum libro 2. Clementis Romani traditum est, cuius regula meminit Clementis Alexandrinus in libris Stromatum, consentaneum est, & cum in hoc loco Esaiæ promittitur nouum testamentum, & simul etiam ex quorum ore audiendum sit, ne omnes predicent; quod in nouo testamento vetatur, cum dicitur Apostolus, quomodo predicabunt, nisi mittantur? et illud, nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes prophetae? nunquid omnes doctores? consentaneum inquam est, sic hunc locum Esaiæ interpretari, vt consonet cum loco Pauli de ministris noui testamenti in Ecclesia positus, qui sunt Apostoli primum, deinde prophetae, id est, Episcopi successores Apostolorum, qui sunt prophetae populorum, sic enim vocat Apostolica doctrina lib. 2. Clementis; & presbyteri, quos vocat doctores, quia horum etiam est docere verbum Dei. Vt autem successio prædicationis à successione ministrorum noui testamenti separari non potest, ita neq; successio prædicationis & ministrorum à successione confessionis fidei. Verum itaq; est, quod ais, ne semper errare te dicamus, nam & diabolus accusator fratrum nostrorum, sicut ait Ioannes, vera interdum ad decipiendum loquitur, verum, inquam, est, Esaiam, vt dicis, non agere de sola prædicatione, sed de confessione vera fidei, quæ omnium fidelium est propria. Sequitur in tuo libello. Deinde, cum semen Apostolorum solos Episcopos ait esse, manifestè pugnat cum Paulo, qui se eos in Domino genuisse profitetur, quos instituit. Hoc etiam mendacium est. Nusquam dixi, solos Episcopos esse semen Apostolorum, neq; dicere poteram. Apostoli enim quos Episcopos ordinabant, prius eos presbyteros ordinauerant. Erant igitur semen quoddam Apostolorum, licet in alio gradu, & ordine. Sic dicit S. Epiphanius scribens contra heresim Aerij, qui negabat differre Episcopum à presbytero, quam heresim Lutherus renouauit, episcopum generare per ordinationem patres, qui sunt presbyteri, qui per baptismum generant filios, sicut Episcopi. Filij itaq; ex baptismo semen sunt presbyterorum, & Episcoporum, quia quidquid potest facere minister inferioris ordinis, potest facere minister superioris, sed non est hic ἀντιστοιχία, id est, reciprocatio. Episcopus enim ordinat Presbyteros, qui sunt, vt dixi, patres, sed non presbyter solum, vt solum presbyter fuit Lutherus, & ideo presbyteri semen sunt Episcoporum tantum, ratione ordinationis. Est itaque vocabulum seminis homonymum, id est, multiplex. Item vocabulum generandi; & vtrunq; erat à te distinguendum, præsertim, cum artem rectè disputandi iactare soleas

Regula interpretandi nouum testamentum, vt consonet veteri; & vt consonet nouo. Quomodo successio prædicationis verbi Dei non potest separari à successione ministrorum verbi, neq; successio prædicationis, & ministrorum à successione confessionis fidei.

Antonij mendacium.

Episcopi esse generate per ordinationem presbyteros; presbyteri vero generate filios per baptismum.



„vanissime Pergit Arto ius. Quod si aliquid amplius, inquit, à nobis re-  
 „quirat Turrianus, quo probemus vocabulum seminis, quoties de  
 „promissioibus salutis agitur, esse non diuibile, ac terreno, sed de  
 „spiritual. electorū semine accipiendum, ad sequentes locos atten-  
 „dat Genes. 7. ero Deus tuus, & seminis tui Adde expositionem  
 „Pauli ad Rom. cap. 4 & 9 ad Gal 3. Item I. sa. 1. nisi Dominus ex-  
 „ercituum eliquillet nobis semen, facti fuissetus vt Sodoma, &  
 „Gomorra similes facti fuissetus. Adde expositionem Pauli ad  
 „Romanos 9 Item Deut 30. Dominus circuncidet cor tuum, & se-  
 „minis tui; & pleraque similia quæ satis docent semen piorum non  
 „esse ad speciem aliquā exteriorem restringendum, cum spirituale  
 „sit & spiritualibus oculis contemplandum. Ex locis istis omnibus quos

Quomodo  
 locus Pauli  
 Rom. c. 9.  
 in Isaac vo-  
 cabitur tibi  
 semen, ab  
 Antonio  
 citatus in  
 eum retor-  
 queatur ad  
 probandum  
 non esse fe-  
 nē hęc in-  
 uisibile, sed  
 uisibile si-  
 cet spiri-  
 tuale  
 Chryso-  
 sti expla-  
 natio loci  
 Pauli in sa-  
 ac vocabi-  
 tur tibi se-  
 men & co-  
 gnatio ortu  
 spiritualis  
 ex baptis-  
 mo cum et  
 in Isaac ex  
 promissioe.

citasti, satis erit locum Pauli ad Rom. 9. in te retorquere, praesertim cum tu  
 fatearis in eo expositionem ceterorum contineri. non enim, inquit, qui semen  
 sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij  
 carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine. Docet A-  
 postolus hoc loco qui sunt habendi filij Abrahæ & Dei, scilicet, non filij carnis,  
 id est, nati ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, sed ex  
 aqua, & spiritu s. secundum Dei promissionem; sicut Isaac natus est Abrahæ  
 secundum promissionem (promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tem-  
 pus veniam, & erit Sara filius) & non ex sanguinibus: deserant enim Sara fi-  
 eri muliebria, sicut scriptura testatur, id est, non agente natura, sed gratia &  
 virtute Dei, qui hoc promisit Abrahæ, cum esset corpus eius emortuum, vt Apo-  
 stolus ait, quippe quierat prope centum annorum, & vulua Sara emortua. Vn-  
 de pulchre B. Chrysost. conferens ortum nostrum spiritualem, & diuinum cum  
 illo Isaac secundum promissionē Dei, sic in homilia de mutatione nominis Pauli,  
 & Abrahæ scribit, recitabo Græcè, quia tu Græcis gaudes; ὁ σπερ γὰρ ἐκείνου  
 ἔστι εἰρηλατατό, οὕτω καὶ ἐν τῷ ὄρει, πρὸς ἁλλήλους ἐκείνου ἀπὸ μητρὸς καὶ πατρὸς  
 μέντι· ἀνεβίβης οὐδ' ἀπὸ ὕδατος ψυχρῶν ἄπερ οἶν ἐκείνου ἢ μητρὸς καὶ πατρὸς  
 λαμβάνειν. εἶδες τὸ κενὸν συγγένειαν, εἶδες χάριτος σιμωσίαν. εἶδες πατ-  
 ῆτος καὶ ἐπαγγελίαν τῆς αἰτίας. Interpretemur Latinè totide fere ver-  
 bis. Vt enim illic gratia operata est, sic etiā hic editus est ille ex utero, qui si figure  
 ubi fons baptismatis. Hac cognatio viriusq; partus, hac consensus viriusq; gra-  
 tia; vt obiq; uacat natura omnia efficit virius Dei. Ob hanc causam filij sumus  
 secundum promissionem. Hæc enim Chrysostomus. En Antoni semen Dei, ij scilicet,  
 qui secundum promissionem ex aqua, & spiritu s. regenerati sunt, hoc  
 enim



enim est verbum promissionis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto non intrabit in regnum celorum. Huiusmodi semini, non terreno, & carnali, sed spiritali promissa est salus, quam tu dicis, non tamen quia spirituale semen est, continuo inuisibile est, in qua opinione magno errore laboris. quomodo enim inuisibile est, si sacramentum baptismi, vnde hoc semen tanquam ex vtero mystico exit, visibile est? Audi quid B. Cyprianus in sermone de baptismo Christi dicat, verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa, (aquam intelligit & chrisma) Apostolicis institutionibus sacerdotum ministerijs attributa visibile celebrant sacramentum: rem vero ipsam spiritus sanctus format, & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit: & plenitudinem gratia, vinctiois diuina pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti consummat, & perficit. Haecenus Cyprianus. An quia Deum inuisibilem, qui lauacro aqua in verbo vita ex semine incorruptibili spiritus S. regenerat, non videmus, idcirco neque renatos ex aqua & spiritu S. non videmus? quod si hos vides, nisi te caecum esse fateris. & hi sunt semen Dei, cui promissa est salus, est igitur semen visibile. Est quidem in spiritali semine Dei aliquid, quod solus Deus videt, & diiudicat, ut illud quod Apostolus ait, corde creditur ad iustitiam ac proinde ad salutem: ipse enim infundit fidem cordi credentis, & illud quomodo per baptismum instauratur homo secundum animam εν τω νεκρω, sicut ait magnus Athanasius in libro de Incarnatione, ipse tantum nouit, ipse etiam solus videt ex his, qui semen Dei sunt, qui gloriam huiusmodi seminis, & spem vsque ad finem conseruaturi sint, qui dicuntur, & sunt electi, quos in regnum caeleste ex hoc regno spiritali, quod in terra Christus regnat, transferet. Est rursus aliquid, quod ab hominibus videtur, quod ille satis nobis esse voluit, ut totum sacramentum ex solenni forma verborum, & materia aqua à Christo institutis, & per sanctos Apostolos Ecclesiae traditis constans, & confessio oris, quae sicut Apostolus ait, fit ad salutem, ac proinde ad iustitiam: nec enim salus esse potest sine iustitia, neque iustitia sine salute, utrumque enim coniungendum est, etsi secundum Idioma scripturae hoc loco separari videantur. Haec confessio oris in symboli professione quam facit, qui baptizatur, cernitur. Hanc confessionem oris in baptismo factam satis esse voluit nobis Dominus ad diiudicandum semen Dei spiritali, id est, qui sint ex Deo nati, ex quibus Ecclesia constat, quandiu intus sunt per fidem Dei & obedientiam ecclesiae. Falsum igitur est, quod ais, semen piorum non esse restringendum ad speciem aliquam exteriorem, & esse spiritalibus oculis contemplandum: immodò restringendum est ad sacramentum exterius visibile, & ad exteriorem oris confessionem, ut hac ratione, non solum oculis spiritalibus semen Dei contempleremur, sed oculis carnis videamus, et auribus carnis sentiamus. Est igitur verè

verbum promissionis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu S. Non quia semen spirituale est, quod ex baptismo tanquam ex vtero mystico exit, continuo inuisibile est, in quo Antonius errore magno laboratur. Cyprianus de baptismo.

In sacramenti baptismi quae sunt, quae solus Deus videt, & quae rursus, quae homo, quae satis esse voluit Christus. Locus Apostoli, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Quomodo fit falsum, prout Antonius semen piorum non esse restringendum ad speciem aliquam exteriorem, & visibilem.



Locus Pauli & propriè Ecclesia Dei Ecclesia visibilis, in qua huiusmodi semen Dei versatur, qui conuincit vel solus ecclesiã Dei visibilẽ esse, & non inuisibilem, vt tradit Antonius Protestantium magister.

& propriè Ecclesia Dei Ecclesia visibilis, in qua huiusmodi semen Dei versatur, quod vel hic locus solus Pauli conuincit, licet nullus alius esset, vt sunt in finiti, cum ait in epistola ad Cor. priore, non ne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Si Christus per ministros suos in Ecclesia iudicat, ipse enim dixit, quacumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in calos, & quacumq; solueritis super terram, erunt soluta & in celo, & vbi iudicat super terram, ibi verè & propriè regnat super terram. In Ecclesia igitur visibili, in qua sunt de quibus iudicatur, verè, & propriè regnat. Repugnat igitur scriptura, qui dicit Ecclesiam electorum inuisibilem tantum, esse regnum spirituale Christi. Persequamur reliqua.

Cæterum, inquis, quia semen seminis exponis de Episcopis ab Apostolis institutis, quorum etiam semen debuit esse perpetuum, profer igitur nobis, si potes, (atque vtinam possis) semen Episcoporum, quos Apostoli instituerunt Antiochiæ, Ephesi, Corinthi; & vt paucis dicam, in totius propemodum Orientis Ecclesijs, vbi ordinaria successio, summo totiº orbis Christiani malo, iam pridè irrupta est. En proferimus, vt postulas, semen episcoporum, quos Apostoli instituerunt, proferimus inquam, non solum Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, sed in cæteris Ecclesijs, quarum Episcopi ante annos centum in concilium Florentinum æcumenicum conuenerunt, quorum successio in hunc vsque diem continuata est, non enim Turcarum rex, vel potius tyrannus eam impedit, neque Lutheri secta illuc penetrauit, quæ semen istud deleteret, vt in Germania licet non tota. Si mihi fidem non adhibes, adhibe concilio, in quo feruntur subscriptiones Archiepiscoporum XXV. prouinciarum, qui metropolitani nominantur, & sunt Episcoporum prouincialium capita, vnusquisque Episcoporum prouinciæ suæ caput. Sed videamus quod de Ecclesijs Græcis obijcis. Cum autem, inquis, Græcas Ecclesias pro schismaticis habeatis, eo, quod non agnoscunt Romanum Pontificem, Quid ergo illis respondeas Turriane, ita ex tua interpretatione argumentantibus, se Dei spiritu & Dei verbo non posse destitui, quia sunt semen seminis; eos autem, qui spiritu & verbo Dei nituntur, perperam schismatis accusari. Vides igitur, quid possit consequi, dum restringis nomen seminis ad ordinariam Episcoporum successionem? Dixi antea, sed dicendum est iterum, charisma spiritus Dei esse ordinem, vnde Episcopus quamuis malus, tamen Episcopus est, & non destituitur spiritu, id est, charismate per ordinationem accepto, quod dicitur secundum idioma scripturæ spiritus. Itaque licet schismaticus sit, non ideo potestatem ligandi, & soluendi amittit, quam appellant patres  $\pi\epsilon\omicron\upsilon\epsilon\alpha\ \lambda\omicron\tau\iota\kappa\omicron\nu\omicron\nu$ , hoc est, non destitui spiritu, id est, charismate potestatis spiritualis. Si enim in quo habitat Christus, in eo habitat spiritus sanctus.

Somniat Antonius quod vellet vt successio Episcoporum per vicariã ordinationem sublata esset in Oriente.

De Ecclesijs Græcorum schismaticis quid Antonius obijciat.



sanctus, Christus autem non continuo in quo habitat per aliquod charisma, in eo etiam habitat per gratiam iustificantem, igitur neque spiritus in quo habitat per aliquod charisma, continuo in eo etiam habitat per donum gratie iustificantis, ut tu mihi magno errore sentire videris, alioqui non diceres perperam schismatis accusari eos, qui spiritu, & verbo Dei nituntur, quasi Episcopus schismaticus spiritum potestatis spiritualis amittat, & verbum Dei, ut supra dixi, propter nequitiam, & scelus ministri irritum fiat. Quod si hoc falsum est, ut quidem est, possunt igitur non perperam schismatis accusari, qui alioqui spiritu & verbo Dei nituntur. Sed tu qui omnia mices, & confundis, ubicunque in scriptura spiritum legis, spiritum gratie iustificantis intelligis. Vides Antonius, quid possit consequi, dum spiritum ab spiritu, & verbum à verbo non discernis, & distinguis? Ais deinde, Atque (ut quod res est, dicam) videmini profecto in rebus serijs iocari velle, quando longum Episcoporum catalogum contexitis, ut ita probetis legitimam Episcoporum successione apud vos esse. Ita ne iocari tibi visi sunt S. Irenaeus martyr, sanctus Augustinus, & eo antiquior Optatus Mileuitanus, cum catalogum longum Episcoporum Romanorum contexuerunt? fortasse respondebis, non te de illis loqui, sed de alijs postea, sic enim ais, Post illam bellissima imaginem tui σκελετῆς, id est, corporis humani sine neruis, & carne, aut succo villo, sola ossium serie, & nuda crate, ita profecto longum illum vestrorum Episcoporum ordinem post multos iam annos non ipsa Ecclesiae virtus compegit, non legitima facultas Ecclesiae formavit, sed humana tantum industria colligauit. Post multos iam annos, inquis: vnde ergo initium capiemus istorum, quos dicis, multorum annorum? dic saltem tuis confessionistis, ne iocari, immò eis illudere videaris: à quo Episcopo Romano coepit istius imaginis tua pictura? vnde primum ista series vestrorum post multos iam annos Episcoporum tanquam ossium aridorum cadaueris exordium duxit? cur taces, si nosti? sin verò rogatus dicere non potes, quomodo tam aperte tuos decipere audes? Deinde quod ais, nostrorum Episcoporum ordinem non ipsa Ecclesia virtus compegit, non legitima facultas ecclesiae formavit, Quis te iudicem constituit? aut quomodo hoc probas? quos habes testes non de domo tua productos? quas tabulas noui testamenti, quas tu exigere soles? aut expone ista, quae dicis, non intelligens quid loquaris: quomodo inquam, virtus Ecclesiae verum ordinem Episcoporum compingit, quomodo legitima facultas Ecclesiae format? Deinde edissere nobis, quae ista humana industria, quam dicis, istum ordinem Episcoporum, quam refellis, colligauit? O miseros Confessionistas, qui tam iocularem, & ludicrum magistrum audientem esse putatis, qui solo strepitu inani verborum sonantium reboans, ita simplicitate

Magnus error Antonij q nō discernit spiritum à spiritu; neq; charisma à gratia spiritus iustificantis; & schismaticos episcopos ordinē & potestatem amittere existimat. Quomodo Antonius omnia miscet & confandit.

Quomodo Antonius iste aperte audei suis illudere.



plicitate vestra ad illudendum vobis tam praesidenter abutitur, ut non putet ab  
 vilo vestrum posse detegi & redargui. Sequitur, Nunc autem aliquid etiã  
 dicamus de toto complexo oratiõis: Dominus promittit nõquam  
 fore, ut suus spiritus, & sua verba discedant ab ore Ecclesiã, atque  
 hinc Turrianus colligit, nunquam visibilem pastorem, atque or-  
 dinariam successione interrupti posse. Proferamus igitur simi-  
 les promissiones atque adeo clarè, & expressè loquentes de ordi-  
 naria successione, quæ tamen non impediuerunt, quo minus visi-  
 bilis & ordinaria successio fuerit interrupta. Psal. 68. de Sion mon-  
 te, Dominus perpetuo habitabit in eo, & 2. Par. cap. 33. de templo  
 Hierosolymitano, in domo hac, & in Hierusalem, quam elegi de  
 cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum, &  
 mouere non faciam pedem Israel de terra quam tradidi patribus  
 eorum, ita duntaxat, si custodierint facere quæ præcepi eis, cun-  
 ctamq; legem, & cæremonias atq; iudicia, quæ mandauit per manũ  
 Moyli. Hic quoq; mendaciũ profers cum ais, profere te similes promissiones  
 in veteri testamento interruptas, ppter peccata: ostende vbi in nouo testamento  
 promittat Christus successione vicaria ordinationis Episcoporu, si tamen non  
 peccauerint. Vbi aliquid simile dixit, ut in hoc loco à te citato ex libro 2. Par.  
 c. 33. ita duntaxat, si custodierint facere, quæ præcepi eis? at quosdam quidem,  
 inquit Apostolus, posuit Deus in ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas,  
 tertio doctores, deinde virtutes, &c. Non dixit posuit in Ecclesia, quandiu ve-  
 rã ministerijs suis fungerentur, aut ita duntaxat, si bene ministrarent. Cur igitur  
 tu ad verbum Dei mendaciũ tuum addis? si posuit in Ecclesia, & dona Dei,  
 & vocatio sine pœnitentia sunt, igitur semper positos esse voluit, quandiu Ec-  
 clesia duraret. Rursus Apost. dixit, ecce ego vobiscum sum, vsque ad cõsumma-  
 tionem sæculi, quod quidem quia Apostoli morte prohibebantur permanere, nõ  
 poterat nisi in successoribus eorum vsque ad consummationem sæculi duraturus  
 impleri: at non dixit, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi,  
 si tamẽ vestrum ministerium honoraueritis, quod Paulus Timoth. præcipit. Esse  
 enim Episcopos, id est, successores Apostolorum, charisma, siue donum Dei est,  
 quod per ordinationem tribuitur ad vtilitatem, quod Christus promissit dur-  
 turum in ecclesia esse vsq; ad consummationem sæculi, quod donum, & ad hoc  
 donum vocatio Dei sine pœnitentia, ut dixi, est: & non potest verbum Dei irri-  
 tum fieri, quamuis qui acceperit, donum siue gratiam negligat, sicut Apostolus  
 Timotheum monuit, cum ait, noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est  
 tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, prophetiam enim  
 vocauit, ut aliàs docui, quam Dionysius Areop. vocat in Ecclesiast. hierar. c. 5.  
 de sa-

Mēdaciũ  
 Antonij  
 manifestũ,  
 quod verbo  
 Dei appo-  
 sitũ.

Impium &  
 blasphemũ  
 mēdaciũ  
 Antonij Si-  
 miles esse  
 pmissio-  
 nes factas in  
 nouo testamē-  
 to factis in  
 veteri, qd  
 transferen-  
 dum erat,  
 facta est em  
 legis trans-  
 latio, sicut  
 Apostolus  
 ait.



de sacri ordinationibus cōsecratio iam invocationem, quæ cum adhibetur cum impositione manuum presbyterij, id est, Episcoporum quia Deus fidelis est, irrita, inanis, vt cassa esse non potest.

Rursus commemoras de Heli sacerdote, qui propter peccatum deturbatus est de sacerdotio, cui tamen dixerat Deus, loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsq; in sempiternum. itaque sicut interruptio sceptri regalis domus Iuda: facta fuit propter peccatum idololatriæ, vt scriptura testatur, & figura erat regni illius terreni transferendi in regnum spirituale Christi æternum, ita etiam vocatio sacerdotij tempore Babylonica captiuitatis, & interruptio in Samuele, qui licet esset ex tribu Leuitica, non tamen erat ex filijs Aaron, propter peccata facta fuit, erat q; simul figura, & typus transferendi sacerdotij, ac legi translato erim sacerdotio, inquit Apostolus, necesse erat, vt legis quoq; translatio fieret. At noui testamenti nõ est futura translatio, quia æternum est, & æterna in eo redemptio, ac salus, & non vt illud vetus, quod datum erat vsq; ad tempus correctionis, sicut Apostolus in epist. ad Heb. scripsit, id est, quousque surgeret propheta fidelis, id est, Christus, sicut Demetrius rex in libro Machabeorum priore dixit, se audisse, quod Iudæi & sacerdotes consensissent esse Simonem ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec, inquit, surgat propheta fidelis, vt iam sic æternum accipere debeat, cùm de vetere lege dicitur, historicè quidem & secundum litteram, æternum, id est, quousq; veniret fides, quæ reuelanda erat, sicut Paulus in epistola ad Galatas scripsit, æternum verò secundum spiritum, quia transferenda in Euangelium æternum, quod est, sicut Apostolus ait, virtus Dei in salutem scilicet æternam omni credenti. Hæc omnia fortasse concedis Antoni. Sic enim mere respondens fecisti, dices (inquis) id euenisse temporibus veteris testamenti, quod quidem agnosco. Sed eo arctius necesse arguentum hoc modo. Si, cum adhuc legales ceremoniæ, & visibilia veteris Ecclesiæ elementa locum haberent, cùm adhuc vigeret localis, visibilis, & personalis successio, cum denique vniuersa ecclesia vniuersi populi finibus cōtineretur, nihilominus tamen ipsa successiois promissio fuit semper intelligenda cū hac conditione, nempe quando Israelitæ institutum illum ordinem sanctè colerent, & legem Dei obseruarent, à qua etiam cum defecerunt, secuta est visibilis successiois interruptio, si inquam, illa omnia sub legalibus vmbribus locum habuere, quid obsecro nobis postremis hisce temporibus dicendum est, quando mons Sion exaltatus est super omnes montes, ad quem non vnus Iudæorum populus, sed omnes populi confluant, & quando fideles non iam hic, aut illic ado-

De interruptio-  
ne sacerdotij  
veteris & in-  
terruptioe  
regni, quod  
vtraque in  
anigmate  
significaret,  
& quare fa-  
cta, scilicet  
propter pec-  
cata.

Quomodo  
accipiendū  
sit æternum  
in vetere  
testamēto.

rant,



,, rant, sed in spiritu, & veritate? & quis vnquam ferat Ecclesiam per  
 ,, vniuersum terrarum orbem diffusam, ad visibilem, localem, per-  
 ,, sonalemque successionem Episcoporum ita astringi, vt qualescun-  
 ,, que fuerint Episcopi, quibuscunque tandem erroribus scateant,  
 ,, quicquid credant, faciant, iubeant, tamen penes illos solos ecclesia  
 ,, mancipata maneat, & catenis plusquam ferreis alligata. Multa men-

Multa mendacia Antonij in vnum congeſta. Quomodo mendacem facit scriptura? Antoni, cum dicit promissionem successionis in veteri sacerdotio intelligendam fuisse semper, si legem Dei seruauerunt. Loci scripturae quibus error Antonij redarguitur & conuincitur.

dacia huc congeſti. Si promissio ſucceſſionis in ſacerdotio, (de ſucceſſione enim in ſceptro regni antea diximus) intelligenda fuit ſemper cum hac conditione, vt tu dicis, nempe quoadiu Iſraelita inſtitutum illum ordine ſanctè colerent, & legem Dei obſeruarent, metitur ſcriptura, cum principes ſacerdotum vocat, quos dicit prauaricatos eſſe iuxta vniuerſas abominationes gentium, & pol- liſſe domum Domini, quã ſanctificauerat ſibi in Hieruſalem, vt eſt in 2. Par. c. 36. quod ſi nõ mentitur, fuerunt igitur principes ſacerdotum, quos principes ſacerdotum vocat, & eorum ſucceſſio nõ fuit interrump- ta, quoadiu penitentia eorum expe- ctauit Dominus: mittebas enim, inquit, Dominus Deus patrũ ſuo- rum ad illos per manus nunciorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannauerunt nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius; illudebantq; prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populũ eius, & eſſet nulla curatio. Adduxit enim ſuper eos regem Chaldaorum, & c. lege Hieremiam prophetã, qui à decimo ter- tio anno regni Iofia vſq; ad quintum menſem Babylonicæ captiuitatis prophetauit annis ferè 42. plena eſt prophetia eius appellatione ſacerdotum, & ſermo- nibus hortatorijs, accuſatorijs, et minacibus in eos. Immo cum iam eſſent ducti captiui Babylone, literas miſit ad ſacerdotes, ſicut ſcriptum eſt in ipſo propheta, hæc, inquit, ſunt verbalibri, quæ miſit Ieremias propheta de Hieruſalem ad reliquias ſeniorum tranſmigrationis, & ad ſacerdotes, & ad Prophetas & ad omnem populum, quem traxerat Nabuchodonofor de Hieruſalem in Baby- lonem, poſtquam egreſſus eſt Ieconias rex, & c. Sephonias etiam qui de eadem captiuitate Babylonica prophetauit tẽpore Iofia regis Iuda, quo rege Hierem. prophetare cœpit, teſtis eſt non fuiſſe amiſſam Hieroſolymis ſacerdotum ſucceſ- ſionem cum alioqui tum cultu Idolorum, tum operatione ſacrorum ſine indu- mentis ſacerdotilibus, quod ita execrabile erat, offerẽdo ignem alienum, quod illi filij Aayon auſi fuerunt, tum alijs criminibus templum polluebant. Sacerdo- tes, inquit, eius, id eſt, Hieruſalem polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem: & c. i. diſperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina adituorum cum ſacerdotibus. Captiuitatem minatur ſacerdotibus, hoc enim erat diſperdere eos, duci, ſcilicet captiuos. & paulo poſt, & erit in die hoſtie Domini viſitabo ſuper principes, & filios regis, & ſuper omnes qui indui ſunt veſte peregrina.

Sacerdotes



Sacerdotes dicit, qui vsq; adeo sacra contemnebant, vt ea sine vestitu sacerdotali contra legem operari auderent. Sic beatus Cyrillus in commen. suis in hunc prophetā interpretatur. Sacerdotes itaq; erāt, quos propheta sacerdotes vocat, nisi mentitu esse dicis? Aliud enim est nō esse sacerdotem, aliud malū sacerdotem esse. Quod autem Babylone non est continuata sacerdotum successio, non fuerat in causa superiora scelera sacerdotum, quae ne in ipsa quidem Hierusalem, quae cultu idolorum ab ipsis polluta fuerat, successionem sacerdotalem, quae ex tribu Leui, & filijs Aaron vnctionibus, & consecrationibus secundum legem fiebat, impedire potuerant, multo verò minus Babylone impedissent propter penitentiam, quam ibi cōperunt: sed in causa fuit, quod extra Hierusalem vnctiones, & consecrationes sacerdotum, & sacrificia fieri non poterant. Rursus quod dicis promissum fuisse successionem veteris sacerdotij, cum hac cōditione, nempe quandiu Israelita institutum illum ordinem sanctē colerent, cum iudeis ipsis facit, & illos ipsos imprudēs, & nolens defendis. Si quis enim eos percunctetur, quare nunc non habent sacerdotij successionē, statim respondent, propter peccata id factum esse, quia scilicet legem contempserunt. Scriptum est enim in Malachia propheta, labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercitū est, quare iustum esse, vt qui legem non seruauerunt, sacerdotes, ministros, & doctores legis non habeant. At responsio hac à ratione penitus aliena est, vt enim ijs, qui leges seruant, premia, & remunerationes proposita sunt, sic etiam ijs, qui non seruant, proposita poena & supplicia. At sacerdotium, in quo est ministratio legis, magis necessariū est peccantibus, sicut medicina magis necessaria est aegrotis. Non igitur propter peccata priuati sunt Iudaei sacerdotio, imò & lege, tanquam aegroti medicina. Præterea, si propter peccata sacerdotum sacerdotiū sustulisset, magno incommodo affecisset Deus eos, ad quorum vtilitatem tributum, & sanctitum erat sacerdotium, scilicet ad sacrificandum pro omni genere peccatorum voluntariorum, non voluntariorum, cuiusq; aetatis, gradus, principum, priuatorum, communiter & sigillatim, vt ex Leuitico perspicitur. Locutus est enim, inquit Dominus ad Moysen, inquit, loquere ad filios Israel, anima quae peccauerit præter voluntatem, &c. & paulo post. Si omnis synagoga filiorum Israel ignorauerit, &c. Deinde subiungit, & placabit pro eis sacerdos, & remittetur eis peccatum. Et postea, si, inquit, anima vna peccauerit ex populo terra, &c. Deinde subiungit, placabit pro ea sacerdos, & remittetur eis. Similiter sigillatim de peccatis voluntarijs in deposito, furto, atq; alijs, & subiungit, & placabit pro eo sacerdos, & remittetur ei vnumquodq; eorum, quae fecit, & peccauit, &c. Longum fieret, si omnia huiusmodi persequerer, nec tamen ad placandum Deum pro peccato, alterius nequitia sacerdotis, quia minister pu-

Quare Babylone interrupta fuit successio sacerdotū & non Hierosolymis cū cultu idolorum erat pollutum templum.

Quomodo Antonius imprudens, & nolens ludzos huius temporis defendit.

Quomodo si à ratione penitus alienum sacerdotium de medio tolli propter peccata. Quomodo si propter peccata sacerdotum veterū sublatū fuisset sacerdotiū, magno incommodo affecisset Deus eos, ad quorum vtilitatem tributū erat sacerdotiū.

R

ster pu-



Quare perpetuitas regni Iudaici promissa erat ea conditione, si legem seruaret, sed non sic in sacerdotio non fuisse premium legis seruatae, sed instrumentum legis seruatae. Quare cultus legis & sacerdotium in vno loco ciuitatis Hierosolymitanam funditus à Romanis deleri permittit. Si enim, ut Theophanes libro 2. prioris Tomi contra Iudaeos scripsit, sacerdotium, & legem perpetua esse voluisset Deus, aut non vno loco cultum legis, & sacerdotij successionem circumscripsisset; aut si in illo vno loco semper seruari voluisset, illum ipsum locum semper seruasset. Satis credo iam intelligis, quam falsum sit, & scriptura sancta repugnans, quod scripsisti promissionem successionis in veteri sacerdotio ea conditione factam esse, si tamen Israelitae legem seruarent. Illud rursum mendacium est, quod adunxisti, Ecclesiam per vniuersum terrarum orbem diffusam ad visibilem, localem personalemque successionem Episcoporum à nobis astringi. Astringitur quidem Ecclesia, ut verbo tuo inepto utamur, ad visibilem, & personalem, sed non localem successionem Episcoporum; ita ut vno loco circumscripta sit Episcoporum successio, sicut erat vno loco Hierosolymitano, quem elegit Dominus, circumscripta successio veteris sacerdotij, quin potius in infinitis per cunctum orbem Ecclesij ordinantur Episcopi, qui quia persona sunt, & eorum ordinatio visibilis, rectè eorum successionem visibilem, & personalem vocas, sed non localem, ut dixi. Illud praeterea mendacium est, quod ais, ita à nobis Ecclesiam ad successionem Episcoporum visibilem astringi, ut qualescunque fuerint episcopi, quibuscunque tandem erroribus scateant, quicquid tradant, faciant, iubeant, tamen penes illos solos Ecclesia mancipata maneat, & catenis plusquam ferreis alligata. Commentum inquam tuum est. Episcopi enim, si non sunt sani in fide, non solum ministerium illis interdicitur, sed Ecclesia. Catholicis verò Episcopis Ecclesia sunt alligatae, vnaquaeque suo Episcopo, sicut sponsa sponso, & grex pastoris, & Episcopi alligati Ecclesij, vnusquisque suae, sicut sponsus sponsae, & pastor gregi. Interroga Paulum, an Ecclesia Ephesiorum alligata fuerit Timotheo.

Episcopo



Episcopo suo: & Cretensium Tito? Sic sunt nostra Ecclesia Episcopis suis alligata, & futura sunt vsq; ad consummationem seculi. Sic enim praesat Christus quod sanctis Apostolis promisit, cum dixit, ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.

Quomodo praesat Christus, qd Episcopis, & eorum Ecclesijs promisit inquit, ecce ego vobiscum, &c.

## CAPVT V.



Agreditur deinde Antonius alium locum ad probandum interruptionem verae successionis Episcoporum. Cum Paulus, inquit, 2 cap. ad Thess. praedicit futuram apostasiam, cum Antichristus ὁ ἀντικείμενος sedebit in templo Dei, nonne satis apertè significat verae successionis, & legitimi ordinis interruptionem? non enim magis stare potest defectio cum successione, quam cum Antichristo ἀντικείμενος? Hunc locum 2. Thessalonicen. 2. de Antichristo, quem tu mihi obijcis nunc, tractauit ipse libro 2. contra capita disputationis Lypsicæ Andrea Freyhubij cap. 5. in quo docui quemadmodum Lutherani Christum in carne venisse negant, & ob eam rem Antichristos esse secundum Ioannis Apostoli sententiam. Hoc tu inter multa alia eiusdem capituli callidè dissimulasti, quia quid respondere, aut cauillari posses, non reperisti, praesertim cum Academiam Lypsicam ad respondendum prouocassem, quod mihi exprobrare soles, sic enim in extrema pagina scripsi; viderit ergo Academia Lypsicæ, an habeat verbum Dei, quo possit hac refellere; nisi verbum Dei vocat nihil dicere prater somnia & conuicia, vt Protestantium scriptores facere solent. Itaq; cum nihil ad cauillandum inuenires, arripuisti ex loco Pauli de Antichristo verbum ἀποστασία: nonne, inquis, verae successionis, & legitimi ordinis interruptionem apertè significat? Recitemus locum; ne quis, inquit, vos seducat vllò modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Dicamus nos, nõne satis apertè significat eundem vocari hic discessionem, & hominem peccati, & filium perditionis? si mihi non credis, testes cito omnes interpretes. Theodoretus Antichristum, inquit, vocat discessionem à re ipsa nomine imposto, quia studebit, inquit, cunctos à veritate abstrahere. Chrysostomus defectionem, inquit, Antichristum vocat, tāquam plurimos perditurum, & abducturū. Theophylactus, si Graeca vis, ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία, τῆς τοῦ ἀντικρίστου, ἀποστασίαν γὰρ αὐτὸν ἐκάλεσεν αὐτόχρημα τῶν ὄντων ὡς πολλὰς μέλλοντα ἀφίσσιν. quo vno saltem teste probas tu, quod dicis? At inquis, non magis potest stare defectio cum successione, quam Christus cum Antichristo, ita est, vbi enim erit apostasia Antichristi, ibi non erit successio vicaria ordinationis; nec vbi erit Christus, ibi erit Antichristus: vtrumque verum est, sed nunquid omnia Anti-

Quid Antonius dissimulauerit à me contra Andream Freyhubij scriptum, quia respondere non potuit.

Quomodo nõ intellexit Antonius, quid discessio in loco Pauli de Antichristo significet.



Qui sunt,  
quos Anti-  
christus de-  
cipiet, & qui  
perituri  
sunt.

Antonij  
mendacij  
contra scri-  
pturam.

Quomodo  
Antonius  
scripturam  
reugnat cū  
eum, quem  
Paulus dicit  
esse vnum,  
idem Anto-  
nius dicit  
esse multos

christus occupabit? nunquid omnes decipiet? minimè. Sed eos tātum ait Theo-  
doretus, qui digni erunt, vt pereant, qui se ipsi salute priuare culpa sua volunt.  
id enim significat Apost. cum ait de Antichristo, cuius aduentus est secundum  
operationem Satana in omni virtute & signis mendacibus, & in omni sedu-  
ctione iniquitatis, sed quibus? ihs, inquit, qui pereunt, eo quod charitatem veri-  
tatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris,  
vt credant mendacio; vt iudicentur oēs qui non crediderunt veritati, sed con-  
senserunt iniquitati. Et Daniel prophetas de Antichristo, & de ihs, qui nō sunt  
ab eo seducendi, populus autem, inquit, sciens Deum suum cōirebit, & faciet:  
& docti in populo docebunt plurimos. Mendacium igitur est simile mendacis  
Antichristi, quod ait, generalem interruptionem ordinariae successionis hic ab  
Apostolo predictam esse, quasi futura sit generalis apostasia Antichristi, id est,  
omnes generatim Antichristus seducturus sit, quod huic scriptura & veritati  
euangelica repugnat. Si igitur non est futura generalis seductio Antichristi,  
quid obstabit quominus futura sit illo etiam tempore apud fideles successio vi-  
cariæ ordinationis. Adiungis deinde, obnititur quidem Turrianus, quā-  
tum potest, & clarissimum hunc locum suis *σφισμασι* aspergit  
tanquam sepiā atramento, vt ita possit effugere, sed frustra. Ait  
enim Paulum hic nō intellexisse pontifices Romanos, quia vnum  
tantum significat, plures autem fuerunt Romani Pontifices, at o-  
portet mendacem memorem esse Turriane, alioqui eius menda-  
cia facillimè deteguntur. Tu verò in superiori disputatione vno  
quoque verbo inculcabas vnum esse caput visibile ecclesie, nem-  
pe Petrum in successore, & in hoc argumento tibi placuit ipsum  
vnitatis vocabulum, & Pontificem potius, quam Pontifices vsur-  
pare. Quare vel nobis tacentibus, te ipse Turriane refutasti. O ridi-  
culam, & iocularem caullationem. Paulus de vna Antichristi persona loqui-  
tur, Pontifices autem multa persona sunt, licet auctoritate & dignitate vnus  
Petrus sint, sicut Petrus *πρῶτος*, id est, vt ita dicam, multissimus est in eis, in  
quibus adhuc viuit. Quomodo igitur, si de vna persona futura Apostolus predi-  
cebat, de pluribus personis, vt prädixerit, contendis? Age ergo, amabo, quomodo  
Turrianus se refutauit? aut doce Antonij quomodo nō contradicū scriptura san-  
ctæ. si, quoniam Paulus vnā personam esse affirmat, tu multas esse dicis? nō enim  
loquitur Apostolus in epistol. 2. ad Thess. de illis Antichristis, qui iam, sicut B.  
Ioannes ait, multi exierunt in mundum, in quibus mysterium iniquitatis, sicut  
idem Apostolus ait, iam operatur; sed de vno, quem vocat hominem peccati, &  
filium perditionis, cuius aduentum secundum operationem Satana futurum  
describit. An cum dico Petrum, qui vna persona fuit, in successoribus suis, esse  
adhuc caput Ecclesie, simul dico successores Petri esse vnā personam? Quis



nunquam tam delirus cauillator erit, nisi tu, qui hoc dicat? Si ergo non sunt vna  
 persona, et Paulus de vna persona Antichristi loquitur, quomodo audes ad tuā  
 & aliorum perditionem scripturam Pauli deprauare? at, inquis, quid quod  
 vos vnam toties fedem Apostolicam decantatis? Ecce aliud delira-  
 mentum. quasi vna sedes Apostolica, & vna Ecclesia Romana vna persona v-  
 nius tantum Pontificis sit, sicut Antichristus, de quo Paulus in epist. ad Thess lo-  
 quitur, et Daniel, et Apocalypsis, vna tantum persona in diebus suis futura est,  
 & non multesima. Quin etiam, ait Antonius, cum Paulus dicat, iam tūc  
 mysterium iniquitatis peragi, noluit certē ad vnum hominē pro-  
 phetiam suam restringere. Noluit quidem Apostolus seductionem ad vnum  
 hominem, vt more tuo loquar, restringere, omnes enim heretici seducunt: &  
 cum se alioqui Christum predicare dicāt, & se prophetas appellent, vt se appel-  
 lauit Martinus Lutherus, sunt tamen pseudoprophetae, & pseudochristi; vt Do-  
 minus in Euangelio Matthaei dixit: & Ioannes, multi, inquit, pseudoprophetae  
 exierunt in mundum, & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est  
 Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, in his omnibus mysterium  
 iniquitatis iam operatur, sicut Apostolus ait: Mysterium enim iniquitatis  
 dicitur operari iam in hereticis, quia occultē per dulces sermones, & bene-  
 dictiones, sicut Apostolus ad Romanos scripsit, seducunt corda innocentium,  
 sicut ministri Lutheranorum Christum, & puram euangelij doctrinam se di-  
 cunt predicare, quo sermone nihil potest esse dulcius, neque benedictione di-  
 gnus. At Antichristus ille futurus, qui nondum venit, apertē homines à Deo et  
 Christo eius auellet: quamobrem, inquit Theodoretus, reuelationem vocauit A-  
 postolus aduentum eius, cum ait, & tunc reuelabitur ille iniquus, quod enim, in-  
 quit, occultē & semper molitur, tunc palam predicabit. Illa verò descriptio ad-  
 uentus Antichristi secundum operationem Satanae in omni virtute, & signis,  
 & prodigijs mendacibus in omni seductione iniquitatis, & quae sequuntur, ad  
 vnum hominem filium perditionis restringitur ab Apostolo, cui tu contradicis,  
 in quo iam operatur, sicut in magistro tuo, mysterium iniquitatis Antichristi;  
 aut si non restringitur, demōstra in nostris Pontificibus omnem illam virtutem,  
 & signa, & prodigia mendacia, quae Paulus in Antichristo dicit. Iam quod Io-  
 annes ait, & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Anti-  
 christus, de quo audistis, quoniam venit; satis declarat, esse alium Antichristum,  
 de quo nondum audiuius, quod venit, eum scilicet, de quo Paulus loquitur.  
 Nō enim temere dixit, de quo audistis, quoniam venit, temerē autem dixisset,  
 & frustra, nisi alius esset Antichristus, de quo scriptum est venturum esse, & nō  
 audiuius venisse, nisi ex Luthero pseudopropheta. Si igitur Pōtiffices Romani  
 sunt Antichristi ex illis, de quibus audiuius, quod venerunt, sicut B. Ioannes

Quomodo  
 Antonius  
 scripturam  
 delirando  
 deprauat.

In quibus  
 mysterium  
 iniquitatis  
 iā operatur,  
 & quare di-  
 citur myste-  
 rium iniqui-  
 tatis.

Quare Ad-  
 uentus An-  
 tichristi vo-  
 catur ab A-  
 postolo re-  
 uelatio eius.

Quare dixit  
 B. Ioan-  
 nes, hic est  
 Antichristus,  
 de quo au-  
 distis, quo-  
 niam venit.



Quomodo nos probamus fuisse hzreticum Lutherum. Vbi ego de monitaucrim Lutherum Iesum soluere, vt Ioānes ait.

ait. proba illos esse hzreticos, aut non communicare cum omnibus Ecclesijs totius orbis, aut Iesum soluere, sicut nos probamus hzreticum fuisse Lutherum, & eum cum euangelio suo, & omnibus fautoribus, & doctrina sua pradicatoribus, ab omnibus totius mundi Ecclesijs anathematizatum esse, & Iesum soluere, quod cap. 5. libri 2. contra capita posterioris disputationis Andrea Freyhubij satis, vt arbitror, demonstraui, ne eadem repetam. Deinde, quia conscientia tua conuictus, istis tuis cauillationibus diffidis, subiungis, Quod si ne hæc quidem tibi satisfaciant, proferam ex ipso contextu, quod te

refellat, & ( vt tuis verbis vtar ) etiam inuitum reuincat. Sic enim  
 \* Paulus, tātum (inquit) qui tenet nunc, teneat, donec è medio sublatus fuerit, & tunc retegetur impius ille, &c. dum dicit ὁ κατήχων, de vno quidem homine videtur loqui, sed ipsa temporum ratio  
 \* necessario cogit, vt multos intelligamus eundem locum occupantes. Nec enim dices vnum hominem ab ætate Pauli ad finem vsq;  
 \* mundi ( illuc enim refert Pauli prophetiā ) vitam producere vnam  
 \* quam posse. Si, quia videtur de vno homine loqui apostolus, cum ait, ὁ κατήχων, id est, qui tenet nunc, nihilominus tamen ipsa temporum ratio cogit, vt tu dicis, vt multos intelligamus eundem locum occupantes, sic etiam, vt tu sentis, cum dicit idem Apostolus reuelandum esse hominem peccati, & filium perditionis, oportet intelligere multos homines peccati, et multos filios perditionis,

Quomodo cogitur Antonius fatere mendaciū suum, aut facere Paulum mendacem.

eosq; esse Pontifices: primū rogo te, vt dicas, quis Pōtifex primus fuit in ista reuelatione Antichristi iā facta, vt tu somnias? Deinde demonstra, quæ signa magna, et prodigia Pontifices, quos Antichristū facis, hætenus de derunt, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiā electi, aut si demonstrare non potes, fatere mendacium tuum; ne mendacem facias Paulum, nisi forte miracula, quæ in Ecclesia Catholica, cui præest Episcopus Romanus, fiunt in nomine Christi, Pontificibus attribuis, ac signa & prodigia mendacia esse dicis, quibus non magis credis, quam miraculis Christi in Iudea credebatur. Deinde Daniel de Antichristo prophetans tribus annis cum dimidio dominaturum esse prædixit, tempus enim, & tempora, & dimidium temporis, quæ Angelus dixerat paulò obscurius, idem angelus explicauit statim subducta summa mille ducentorum nonaginta dierum, & Apocalypsis beati Ioannis cap. 11. subducta summa quadraginta duorum mensium, quo tempore predicaturus est. Elias iuxta prophetiam Malachia, cum ait, ecce ego mittā vobis Eliam prophetam, antequā veniat dies Domini magnus, & horribilis, &c. Si igitur in Pontificibus, vt tu vis, impleta est pphetia Danielis, et Pauli de aduētū Antichristi, & discessione sue apostasia eius, iam diu venit Elias, iam completa est, sicut Angelus Danieli dixit, dispersio populi sancti: & beatus inquit, qui expectat, & peruenit vsque ad dies

De dominatu antichristi, tribus annis cum dimidio. Quæ sequatur, si quod Apostolus de Antichristo scripsit



ad dies mille trecentos 35. iam beati sumus, qui expectauimus, & peruenimus ad istum numerum dierum, imò ad multo maiorem, ex quo Lutherus heresis tuæ auctor extitit. Iam Dominus ad iudicium venit, iam facta est resurrectio: nihil iam aliud expectandum est. Hac ex tua disputatione, sine potius nugatoria cauilatione inducta sunt. Et quid mirum, fortassis vnum te esse ex ijs, quos beatus Petrus in epistola sua secunda prædixit venturos in nouissimis diebus in deceptione illos iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, ubi est promissio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ, &c. Postremo, vt multa alia præmittam, quæ obijci poterant, si, cum Antichristus veniet, iuge sacrificium, vt ait prophetia Danielis, auferendum est, quomodo impletum est hoc in Pontificibus Romanis, qui pro nullo dogmate acrius cum Lutero, & Lutheranis pugnant, quam pro defendendo sacrificio in cruento sanctæ Eucharistiæ: quod vos impiè tollitis, in quibus iam mysterium iniquitatis operatur, quia quod vos facitis recte per speciem sacrificium cruentum Christi defendendi, quasi hoc incruentum illi cruento deroget, hoc Antichristus apertè, & sine vllò velo aut prætextu facturus est.

Sed redibo ad illud, ὁ κατέχων, id est, qui tenet, quod tu de imperio Romano accipiendum esse sentis, de quo non contenderem tecum, quia habes ex antiquis auctoribus, quos sequaris, quos ego non ignoravi, nisi diceres, me, qui sum inquis, accuratus Græcorum vocabulorum scrutator, non potuisse ignorare, non posse intelligi de Euangelio nondum per vniuersum orbem prædicato. Vtinam tantundem ego de te prædicare possem, quantum tu de me prædicas, esse scilicet te diligentem scrutatorem vocabulorum; ita enim fieret, vt esses item diligens scrutator rerum. Sed neutrum in te spectatur, immò summa vtriusque rei negligentia. Fefellit te Antoni, quod ὁ κατέχων masculini generis, ad euangelium, quod est neutrum, non videtur posse referri. Idem posset tibi opponi non posse referri πρὸς τὴν ἀρχὴν ἡρωμαϊκῆς generis fœminini, vt Chrysost. & Theophylactus retulerunt. Si enim tu ad Imperatorem Romanum refers, vt genere conueniat, similiter dici potest, referri ὁ κατέχων ad Euangelizantem, quomodo enim, inquit, audient sine predicante? miror ego te tam negligenter, & oscitanter hunc locum Apostoli legisse, vt non aduerteris, qui dicit, ὁ κατέχων ἀπὲν, id est, qui tenet nunc, paulo supra dixisse καὶ νῦν τὸ κατέχων διδάτε, id est, & nunc quid teneat scitis. En Antoni τὸ κατέχων neutrum, non dixit τὸν κατέχοντα, vt conueniret genere cum inferiore ὁ κατέχων. Quod autem hoc quod detinet, ad Euangelium cum Theodoro in commentarijs Danielis in epistola ad Thes. retuli, auctoritas Euangelij huic interpretationi astipulatur, cum Dominus dixerit in Euangelio Matth. loquens de Antichristi aduentu & prædicabilis hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, &

& Daniel prophetauit, in pontificibus, vt Antonius vult, impletum est. Pro nullo dogmate acrius pugnare cum hæreticis pontifices Romanos quam pro defensione sacrificij incruenti. Sacrificium Eucharistiæ delendum esse in aduentu Antichristi & iam in eius præcursoribus Lutheranis conceptum esse.

Quam negligentis vocabulorum, & rerum scrutator sit Antonius.

Quare illud quod nunc detinet, in loco Pauli, ad Euangelium retulerim.

¶ tunc.



Quomodo  
Antonius  
videtur vel  
le suadere  
tam latè fu-  
isse iam tunc  
tempore A-  
postolorum  
predicatum  
euangelium,  
quam erit  
cum veniet  
Antichristus,  
quo nihil  
dici potest  
à sensu com-  
muni alienus.

Quomodo  
Antonius  
mendacem  
facit Domi-  
num in Eu-  
angelio, &  
consuetudi-  
nem scriptu-  
re ignorat.  
Scrutatio  
vocabuli  
ἀπὸ, & quid  
in loco Pau-  
li de Anti-  
christo sig-  
nificet.

Quomodo  
ἀπὸ, quod  
significat  
paulò antè,  
non potest  
referri ad  
imperium  
Romanum.

tunc veniet consummatio. In eo autem satis apparet quam sis inutilis, & refractarius cavillator, si quis alius est inter Lutheranos, ut quia Paulus in epistola ad Colossos scripsit predicatum esse euangelium in vniuersa creatura, qua sub caelo est, & quia illum versiculum, & in omnem terram exiit sonus eorum, ad predicationem Apostolorum accommodauit, suadere vis ad decipiendum tuos, sublatum esse hoc impedimentum euangelij nondum in vniuerso orbe predicati; quasi iam tunc, tempore Pauli tam latè predicatum fuisset, quam est hodie; aut hodie tam latè, quam erit, cum veniet consummatio. Quod nemo est tam amens, & sensu communi carens inter tuos, qui hoc credat, & tu mendacem facis in Euangelio Dominum: & nondum consuetudinem scriptura didicisti, qua eos, qui sunt omnes, vocare solet multos, & eos qui multi, omnes: & non credis, quod cunctus orbis partim vidit, partim audiuit, scilicet in quam multis regnis, & insulis, & locis omni antiquitati ignotis, & inauditis, vbi Christus nunquã antea fuerat predicatus, iam est annunciatus, & creditus. An non erat hoc impedimentum aduentus Antichristi, & post aduentum consummationis? sed quia videor tibi scrutator vocabulorum Græcorum, libet scrutari vocabulũ ἀπὸ quod Photius Constantinopolitanus in Lexico suo notauit, ut ei laus huius scrutationis reddatur, λέγεται, ἀπὸ τὸ μέγ & τὸ παρεληλυθός & σωματίου τῶ νῦν, ἐναντίως ἔχον τῶ ἀπὸ τῆς, τὸτο γὰρ κατὰ τὸ μέλλον συνάπτεται τῶ νῦν, coniungit, inquit, ἀπὸ partem præteriti temporis cum nunc, contra quam facit ἀπὸ τῆς quod coniungit futurum cum nunc, quod dicitur statim, siue paulò post; sicut ἀπὸ modo, siue paulò antè. Predicatio Euangelij erat recens, non autem imperium Romanum, quare non conuenit in eum, ut dicatur paulò antè cœpisse detinere, siue impedire aduentum Antichristi, sed potius conuenit in Euangelium, quod paulò antè, si comparatur cum imperio Romano, cœperat detinere aduentum Antichristi, donec predicaretur, sicut Dominus dixit, in vniuerso orbe. Sed veniamus tandem ad clausulam capitis tui noni, qua satis declarat, quãtum conscientia redarguente tuis cavillatorijs tergiversationibus dissidas. Sic enim ais, Verum enim uero Turriane, dum etiam atque etiam sudabis in hoc Apostolico telo de corpore tui Pontificis reuellendo, mihi in presentia satis erit, quod ex hac prophetia Pauli, siue iam impleta fuerit, siue aliquãdo implenda sit, siue iam impleri cœperit, nondum tamen plenè euenerit, (sic enim variè disputari solet, qua de re non est nostri instituti prolixius agere) manifestius fiat, aliquando visibilem Ecclesiæ statum interrumpi posse, quod & apostasiæ vocabulum indicat, & ipsa totius contextus circumstantia docet. Hic iam ipse planè dubitas vtrum Antichristus iam venerit, cuius aduentum futurum describit Apostolus, dubitas igitur iam



in vtr n ostri Pontifices sint Antichristus: quare te ipsum reum facis mendacij, & falsæ criminacionis. Et magis exercitationem declamationis quam criminis accusationem attulisse te significas, cum ais, sic enim variè disputari solet. Ad reliqua huius clausule iam est à me affatim responsum. Atq; hæcenus de toto tuo capite nono. Aggrediamur locum decimum.

Quomodo Antonius reū se facit mendacij, & falsæ criminacionis. Antonius declamator potius quæ accusator.

## Locus Decimus Matthæi 28.

Profecti ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandauit vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.

## Sophisma Turriani.

## CAPVT I.

**A**D superiorem prophetiam Esaiæ pertinet, quod Dominus ait in Euangelio, euntes ergo docete omnes gentes, &c. & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quomodo enim cum Apostolis, qui iam à vita recesserunt, adhuc manet vsque ad consummationem sæculi, nisi quia viuunt Apostoli in suis successoribus? Qui enim hos audiunt, apostolos audiunt, & per hanc ordinariam successionem Dominus implet promissionem suam manendi in Ecclesia cū apostolis vsque ad consummationem sæculi, & semper est cū apostolis docendo, baptizando, & prædicando per eorū successores. Sic enim Christus, & ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, vobiscum, inquã, sum instituendo, baptizando, & doctrinam mandatorum tradendo. Hæc autem cum non faciat Dominus visibiliter, necesse est per ministros faciat; qui cum sint mortales, consequens est, vt promittat hic successionem ordinariã vicariæ ordinationis ministrorum, qui sunt Episcopi. Quare qui habent ministros non succedentes Apostolis, successionem vicariæ ordinationis, hi Christum non habent cum illis ipsis manentem vsque ad consummationem sæculi. Hæc tu ex meo libro, notatis paginis 102. 103. 104. 105. recitasti non eodem ordine, neq; continuat a serie, & prætermisisti multis, quæ negare puduit, & refellere non potuisti. Repetam illa hic, vt intelligant tui, quam bona fide mecū agas, id est, quam veteratorie. Postquam dixi percunctando, Quomodo enim cum Apostolis, qui iam à vita recesserunt, adhuc manet vsque ad consummationem sæculi, nisi quia viuunt Apostoli in suis successoribus? qui enim hos audiunt, Apostolos audiunt, & qui Apostolos in

Prætermisisti ex meo libro Antonius, quæ negare puduit, & refellere non potuit.

S

successo-